DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

CATARRHO,

Quam,

Favente DIVINI NUMINIS Clementia,

AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ac PRIVILEGIA DOCTORALIA

more Majorum ac ritu ſolenni conſequendi,

in hac alma NORICORUM Univerſitate ALTDORFFINA

Publico Eruditorum Examini

a. d. IV. Auguſt. *A. R. S.* cIↄ Iↄc XC.

ſubmittet

BERNHARDUS MATTHIAS FRANCK,

Kilonienſis Holſatus.

ALTDORFFI,

Typis HENRICI MEYERI,

Univ. Typogr.

38. 40

44

REVERENDISSIMO. SERENISSIMOQVE.

PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

CHRISTIANO. ALBERTO.

HEREDI. NORWEGIÆ. POSTULATO. COADJUTORI. EPISCOPATUS. LUBECENSIS. DUCI. SLESVICI. HOLSATIÆ. STORMARIÆ. ET. DITHMARSIÆ. COMITI. IN. OLDENBURG. ET. DELMENHORST. ETC. ETC.

OPTIMO. PIO. MAGNANIMO.

DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO.

DISSERTATIONEM. HANC. INAUGURALEM. QVA. TANTI. SPLENDORIS. PRINCIPEM. ADIRE. PAR EST. REVERENTIA.

DAT. DICAT. CONSECRAT.

REVERENDISSIMÆ. SERENITATIS. SUÆ.

humillimus & ſubjectiſſimus ſervus

Bernhardus Matthias Franck.

I. N. J.

CATARRHORUM cum theoreticam tum practicam conſiderationem diligentius inſtituturus, ἄνευ προοιμίων ϗ παθῶν, Areopagitarum more, ipſam ſtatim aggrederer tractationem, niſi nonnulla mihi occurriſſent, quæ in ipſo Diſſertationis hujus limine attigiſſe bonum factum videbatur. Et primo quidem cum *ingenuum ſit non ſolum proficere, ſed & profiteri per quos profeceris*, trium Facultatis Medicæ in hac Univerſitate Profeſſorum Celeberrimorum non publica tantum & privata, ſed & privatiſſima (ut vocant) inſtitutione uſum me eſſe gratiſſima mente palam hic prædico; præcipue vero magnam meorum qualiumcunque in re Medica profectuum partem Viro Excellentiſſimo, *Dn. Johanni Mauricio Hoffmanno* deberi & acceptam ferendam eſſe agnoſco. Atque is ipſe Vir laudatiſſimus, uti ſtudiorum meorum dux exſtitit fideliſſimus, ita honorum quoque petendorum auctor longe graviſſimus eſſe voluit: dum, ut innumera ſua in me collata beneficia nova hac acceſſione veluti ultimo, quod deſiderari poterat, complemento locupletaret, de tenenda in poſterum ſtudiorum meorum ratione petenti conſilium impertiturus, etiam atque etiam ſuaſit & hortatus eſt, ne ad aliarum extra Germaniam Academiarum delicias deguſtandas ante hinc abirem, quam licentiam conſequendi dignitatem Doctoralem impetraſſem. Qua de re cum retuliſſem ad alios, quorum ſpectata rebus maximis eſt prudentia & graviſſima auctoritas, iique accuratiſſimi juxta ac fideliſſimi Doctoris, cui tota ſtudiorum meorum ratio penitus eſſet perſpecta, conſilio parendum cenſuiſſent; nihil reliquum eſſe exiſtimavi, quam ut cogitationem de elaboranda Diſputatione Inaugurali protinus ſuſciperem, quæ tantorum Virorum honorificæ de me exſpectationi, quam gravem mihi conſtitutam eſſe adverſariam videbam, ſi non exacte ſatisfaceret, aliqua ſaltem ex parte reſponderet. Cum ergo in eo eſſem, ut commodum illi quærerem argumentum, ad accuratiorem ſui conſiderationem me invitârunt *Catarrhi*, hoſtes iſti miſerorum mortalium uti admodum moleſti ac non

valetudini ſolum, verum etiam ipſi non raro vitæ inſidias ſtruentes; ita omnium maxime frequentes cunctisque non Medicis ſolum, ſed nutricibus ac tonſoribus decantatiſſimi. Sed nonne Iliada poſt Homerum? nonne Æneida poſt Maronem? ſiquidem præter *Paſchalium*, *Paparellam*, *Botallum*, *Claudinum*, aliosque veterum, etiam è recentioribus *Helmontius*, *Schneiderus* & *Lowerus* magno conatu hanc ipſam Catarrhorum doctrinam tradiderunt. Egone, inter humiles myricas deliteſcens, inter cedros has & ſylvas majores caput efferre? Egone laurigeris hisce Phœbis me immiſcere,

Et ſtellis nebulam ſpargere candidis?

Equidem cum primam opellæ huic manum admoverem, nondum mihi innotuerat, CL. *Lowerum* quædam de Catarrho commentatum eſſe, nec deinde, ex quo eum alicubi allegatum inveneram, omni licet adhibita diligentia, vel libri hujus copia mihi fieri, vel ulterior ejus notitia potuit comparari. Unde cum in paucorum admodum manibus eundem eſſe facile colligerem, nec levis mihi pluribus de cauſis naſceretur ſuſpicio, Doctiſſimum Auctorem non tam ea, quæ ad Praxin, quam quæ ex Anatomicis huc ſpectant, potiſſimum ſectatum eſſe; facile mihi à Viris magnis perſuaderi paſſus ſum, ut, quam jam cœperam, telam ulterius pertexerem, quamque de Catarrho minus vulgarem hactenus foverem opinionem luci publicæ exponere haud dubitarem. Quod enim ad reliquos Viros Celeberrimos attinet, fateor equidem quam lubentiſſime, multum iis eruditum debere orbem, ſiquidem nonnulla veterum Medicorum ulcera cum accurate detexerunt, tum inſuper judicio exquiſito feliciſſime ſanarunt. Nihilominus tamen ſi veritatis amore ducto mihi ſcapham ſcapham appellare, ac, quod res eſt, dicere liceat, mentem beta languidiorem habere iſtum exiſtimaverim, qui in pluribus aliis, quæ ſimul tetigerunt, ulceribus ungues eos reliquiſſe non animadvertat, ac pauciſſima eorum, quæ in Theoria propoſuerunt, calculum accuratius philoſophantium mereri perſpiciat, ſi unicum illud exceperis, quod tamen CL. Viri novis deinde ipſisque haud prævi- ſis impugnarunt dubiis, Catarrhum ſcil. non immediate in partes ſubjectas è cerebro defluere atque deſtillare. Magnus quippe ille alias per ignem Philoſophus, (*Helmontium* deſigno) poſtquam tantis verborum fulminibus in Scholarum dogmata invectus eſſet, ubi veram Catarrhorum generationem declarare aggreditur, inexplicabilibus obſcuriſſimorum terminorum involucris (uti infra patebit)

bit) ſuam ita involvit ſententiam, ut non tam aſſequi eam Lector poſſit, quam demirari. CL. *Schneiderus* autem, ne omnino nihil dixiſſe videretur, hoc ipſum argumentum curſim tantum levique, quod ajunt, brachio attingit; cætera prolixe ſatis, ſed ex mente & principiis veterum ipſisque familiari docendi modo exſequitur. Quanquam hæc laudibus atque immortali horum Virorum gloriæ detrahere nihil poſſunt, cum craſſisſimæ errorum nebulæ etiam maxime lynceos ea ætate non potuerint non occœcare, quæ nunc, tanta obſervationum experimentorumque luce parta, receptæ hodie in Medicina accuratius philoſophandi rationis beneficio, diſcuti facilius poſſunt atque ſuperari; ſed eum ſolum in finem hîc commemoranda duxi, ut & præſens inſtitutum meum Lectori Benevolo probarem, & in materia tam ardua vix mihi evitabilibus erratis facilius veniam impetrarem. Cum enim tritis hucusque Doctorum veſtigiis inhærere haud potuerim, ecquid mirum, ſi fallacibus nonnunquam abreptus conjecturis in errorum inextricabiles labyrinthos inciderim? vaſtiſſimo præſertim longius excurrendi ſpatio ubique ſe mihi aperiente, eo quod multi Medicorum non absque probabilitatis ſpecie doceant, à Catarrhis morborum plerorumque originem peti poſſe atque deduci. Quare, ut quantum fieri poſſet, id ipſum declinarem, nec idem mihi Diſſertationem Academicam conſcripturo accideret, quod Protogoni, Apellis æmulo, eidemque ingenioſiſſimo Pictori eveniſſe Plinius refert, ut indoctior vel ea ſolum de cauſa habitus fuerit, quod manum de tabulà neſciret tollere; eos tantummodo hic pertractandos ſumſi affectus, qui jure merito ac ex recepto magis loquendi uſu Catarrhorum ſpeciebus annumerantur, præciſis iis, qui uno tantum alterove nomine ad eos referri poſſe videntur. Itaque omnes hinc exſulare juſſi morbos, qui vel non tam à ſero ipſo quam aliis ei admixtis dependent particulis, utpote Pleuritidem, Peripneumoniam, Vomicam pulmonum, Eryſipelas, Herpetem, inflammationes tumoresque ſimiles variarum partium; vel non tam ipſi lymphæ quam relictis excrementitiis ejus particulis tribuendi ſunt, uti quidem ſæpius in Arthritide ſeſe res habere videtur; vel non niſi gravioribus de cauſis & longiore obſtetricante temporis ſpatio naſcuntur latiusque ſe expandunt, v. g. Hydropem; vel à parciſſimo ſeri vitioſi affluxu oriri poſſunt, uti Aphthas, Impetiginem, Scabiem; vel denique alias quascunque tandem ob cauſas minus proprie ac uſitate Catarrhorum Catalogo

inferuntur. Hiſce igitur limitibus circumſcriptum campum hunc, quem perluſtrando in præſentiarum emetiri animus eſt, Bono cum DEO nunc ingredior, qualemcunque affectus propoſiti explicationem præmittens, qua veluti filo quodam Ariadnæo ſequens regatur tractatio.

CATARRHUS igitur hîc mihi deſignat modicæ ſeri copiæ in porulis certis partium glanduloſarum, membranoſarum ac muſculoſarum ob morbum peculiarium aliorum meatuum præter naturam anguſtatorum enatam ac cum quadam ſtagnatione conjunctam collectionem.

Unde ſtatim colligi poteſt, affectum hunc ad Symtomata Retinendorum præternaturalium referendum eſſe, cum ſerum, utpote humor naturaliter quidem in corpore retinendus, loco tamen inconveniente peccet, ſiquidem in partibus affectis colligitur ac quodammodo ſtagnat, quod continuo potius fluxus & refluxus motu gaudere debebat. Quanquam autem idem ſerum de alio quoque vitioſitatis modo ſæpius participat, atque quantitate & qualitate vitioſa in corpore peccare deprehenditur; minus tamen vitia iſta hîc conſiderari merentur, cum, niſi locus inconveniens ſymbolum ſuum conferat, alius inde oriatur affectus, non autem ſpeciatim Catarrhus ſoleat aut poſſit produci. Præterea licet ſerum iſtud, quod tanquam Retinendum loco peccare dixi, ſæpe Excernendi ſola quantitate peccantis naturam induat, quando ſcil. per ipſa illa, in quibus colligitur quæque naturaliter etiam tali excretioni vacant, loca excernitur; nihilominus tamen, cum excretio ejusmodi, utpote omnibus Catarrhi ſpeciebus, v. g. Rheumatiſmo, haud communis, ad ipſam ejus formalem rationem non ſpectet, ſed tantum in aliquibus, ubi eam ſubjecti concedit conditio, experientia teſte contingat, nihil omnino impedit, quo minus Symtomatibus Retinendorum vitiatorum Catarrhus jure merito annumerandus eſſe videatur. Jam vero quia de natura Symtomatum eſſe conſtat, ut ſemper morbum aliquem, veluti umbra corpus, indivulſo ſequantur nexu; eum, quem Catarrhus conſectatur morbum, organicum eſſe ſtatuo, Cavitatum ſcil. & meatuum nonnullorum anguſtatorum, ceu clarius infra patebit; ubi Cauſa hujus mali efficiens Proxima declarabitur. Nunc enim ipſum conſiderare

SUBJECTUM ordinis ratio jubet, cum affectus omnes præter naturam mera ſint accidentia, qualia ſemper in ſubjectis ſunt, nec

ſine

ſine iis vel per unicum momenti ictum poſſunt exiſtere. Duplex autem hic mihi Subjectum occurrit, Quod ſcil. & Quo, & illud quidem commode in Remotum ſive mediatum, quod variæ corporis partes, v. g. oculus, auris, naſus &c. præbent, & Proximum ac immediatum diſpeſcitur, quod ſubſtantia ſive portio harum partium glanduloſa, membranoſa ac nonnunquam muſculoſa conſtituit, nunc juxta ordinem affectuum particularium, quos pertractandos ſumſi, in lucem protrahenda. Laborant igitur & affliguntur in *Epiphora* glandulæ duæ conglomeratæ utriusque oculi, quarum una innominata, altera vero caruncula lacrymalis audit, quibuscum ratione muneris ſui conſpirant glandulæ minimæ inter palpebrarum cutim collocatæ interque ductus lymphaticos diſſeminatæ, judice CL. *Stephan. Blancardo in Anatom. Reform. P. I. cap. XII.* in *Aurium fluxu* potiſſimum glandulæ, figuræ aliquatenus ovalis, ſub membrana meatum auditorium inveſtiente reconditæ, tubulisque minimis, in cavitatem meatus inter pilos exiguos ibidem conſpicuos apertis ac hiantibus, donatæ, ceu accurate exponit Eruditiſſ. *Joſeph. du Verney in Tract. de Auditus Organo P. I.* in *Coryza* glandulæ ſub tunica narium & membrana oſſa earundem ſuccingente diſperſæ atque latitantes, in anteriore quidem narium parte minores, quo vero verſus poſteriora magis receſſeris, majores, de quibus legi meretur Celeberrimus *Nicol. Steno in Obſerv. de Glandulis Oculor. & Narium*; quanquam interdum ſalvis hisce plus humiditatum, quam alias ſolet, è concha aurium per ductum Fallopianum, quin & ab oculis per puncta lacrymalia iisque continuum canalem (quando ſcil. his in locis conſitæ glandulæ p. n. catarrho afficiuntur) ad nares poſſit deduci, minusque attendentibus ſub coryzæ levioris ſpecie imponere: in *Ptyaliſmo* glandulæ ſalivales nunc plures nunc pauciores, quas recenſere ſingulas nimis longum futurum eſſet; vid. *Diſſertat. mea de Guſtu* anno ſuperiori habita *pag. 34. ſeq.* in *Odontalgia* membrana nervea radicibus dentium non ſolum ſubtenſa, ſed & ipſas ambiens alveolosque ſuccingens, quæ (cum maxima ex parte originem ſuam debeat fibrillis nerveis à tertio vulgari vel quinto Williſiano nervorum pari dimiſſis inque expanſionem hanc ſubtilem abeuntibus) ipſas quoque fibrillas nerveas, quæ, ab eodem pari dimiſſæ, in quosdam dentium poros, in radicibus præcipue obvios, & internam eorum ſubſtantiam ſeſe inſinuant, in conſenſum trahit, ſicut etiam hæ ipſæ afficiuntur, ubi interior gingivarum ſubſtantia ſimiles pro-

pagi-

pagines nerveas recipiens catarrho laborat: in *Gingivarum laxitate* atque *Uvulæ relaxatione* glandulæ minutulæ, fibris harum partium carneis interſperſæ: in *Tonſillarum*, quas vocant, *tumore* omnis earum, utpote mere glanduloſa, ſubſtantia: in *Angina notha* tonſillæ & glandulæ minores latitantes ſub membrana illa, faucibus muſculisque laryngis, quin & pharyngis ſuper extenſa: in *Brancho* glandulæ interiorem tracheæ regionem obſidentes, tunicamque docente accuratiſſimo *Thom. Willis in Pharmac. Ration. Sect. I. c. I.* glanduloſam, quæ muſculoſam inter & vaſculoſam ſita eſt, conſtituentes, & ſæpius admodum turgentes, ut ſingulæ lentis magnitudinem adæquare valeant, teſte *Blancard. l. c. Part. II. cap. IX.* in *Rhevmate* ſimiles glandulæ interiorem bronchiorum regionem ſtipantes, & juxta horum tractum ubique fere intra intimos pulmonum receſſus continuatæ, teſte *Williſio l. c. in Dyſpnœa, Aſthmate, & Orthopnœa catarrhoſis* hæ ipſæ aſperæ arteriæ & bronchiorum glandulæ vel ob turgeſcentiam nimiam ampliusque quod hac ratione occupant ſpatium liberum aëris commeatum nonnihil intercipientes, vel ſerum copioſius effundentes, ob quod, fiſtulas haſce æolias modo plures modo pauciores obſidens, anguſtans, vel omnino ferme obſtruens, aëri ad veſiculas pulmonales aditus denegatur: in *Catarrho Suffocativo* ſtricte & proprie accepto, ubi ſcil. ſuffocatio à Catarrho pulmonum oritur, eædem glandulæ, humorem (forte, copioſiorem ac una vice) emittentes, qui per bronchia in ipſas veſiculas pulmonales delapſus ſanguini per eas tranſituro obicem ponit, ut hic ipſe ſubito in pulmonibus cumulatus ſuffocationem minetur: *in Catarrhis gulæ ac ventriculi* (hi etenim à ſe invicem difficulter poterunt dignoſci) glandulæ minutiſſimæ, in poſtica cruſtæ villoſæ ſive intimæ ac quartæ gulam conſtituentis tunicæ parte ſpectabiles, (utpote quæ verbis CL. *Emanuelis König in Regn. Animali Sect. I. Art. XVIII. p. 61.* nil niſi expanſio infinitarum glandularum conglomeratarum eſſe videtur) ſimilesque prorſus glandulæ ipſam ventriculi cruſtam villoſam efformantes, in cujus poſtica ſive convexa parte, qua tunicæ nerveæ adhæret, admodum copioſæ conſpiciuntur, ut proinde eam non immerito tunicam ventriculi quartam glanduloſam ſalutandam eſſe judicaverit laudatus modo *Williſius in Pharmac. Ration. Part. I. Sect. II.* in *Diarrhœa ſeroſa* præter Pancreas ac glandulas jamjam expoſitas, (utpote quas aliquam ſeri copiam nonnunquam inteſtinis transmittere probabile videtur) duplicis generis glandulæ inteſtinales, quarum

aliæ,

aliæ, gregales dictæ, certis plexibus continentur, quas primus invenit orbique literato detexit Vir ſeculo noſtro ſingulari datus ornamento, *Joh. Nicolaus Pechlinus*, Dn. Patronus ac Fautor meus omni honoris & obſervantiæ cultu ætatem proſequendus, in cedro dignisſima *Exercitat. de Purgant. p. 510. ſeq.* & poſt eum ſedulo inquiſivit ac deſcripſit Doctiſſ. *Joh. Conrad. Peyerus in Exercitat. duabus de Glandulis inteſtinorum;* alia totum inteſtinorum ambitum interiorem obſident (in principio tamen eorum grandiores, in progreſſu autem & inferioribus inteſtinis minores exiſtentes) adeo ut tunica inteſtinorum interior, cruſta villoſa & velamentum bombycinum alias noncupata, per inductionem, non niſi congeries innumerarum glandularum videatur, teſte Viro Celeberrimo, *Joh. Conrad. Brunnero in Exercit. de Glandulis in Inteſtino Duodeno detectis §. X.* in *Gonorrhœa virili* corpus glanduloſum, Proſtatæ veteribus dictum, quod accuratius inſpicienti corpus videtur fibroſum, copioſis infarctum glandulis, apertumque in interna ſui parte plures viſui exhibet ductus ad latera carunculæ magnæ in urethram ſe exonerantes, ac orificiis ſuis adſitas habentes carunculas exiguas, præcaventes, ne extra Veneris actum materia in glandulis illis ſeparata effluat, quæ non ſeminalis perfecta materia, ſed tantum vehiculum ſeroſo-lymphaticum eſſe videtur, pro diluendo & ad ejaculationem promtam diſponendo ſemine neceſſarium, ceu accuratiſſime monet inſigne illud Academiæ hujus ſidus, *Joh. Mauricius Hoffmannus*, Dn. Patronus ac Præceptor meus omni obſervantia colendus, in *Diſſert. Anatomico-Phyſiologicis ad Joh. van Horne Microcoſmum pag. 276.* in *Fluore albo muliebri* tum glanduloſa oſculi uteri interni ſive colli uterini ſubſtantia, cujus mentio ſæpius apud Anatomicos recentiores fieri ſolet, tum ſimilis vaginæ uterinæ, cujus ſuperficies interna infinitis ovalis figuræ glandulis obſita eſt, egregie detectis à CL. *Mich. Bernh. Valentino in Epiſt. ad Celeberrimum Joh. Dan. Widtium*, quam vid. in *Ephem. Illuſtr. Natur. Curioſ. Append. ad Ann. II. Decur. II. p. 462.* quas inter tamen magnitudine reliquis longe antecellunt glandulæ duæ ad urethræ exitum poſitæ, ac proſtatis virorum fere analogæ judicatæ ab inventore ſuo accuratiſſimo, *Caſpare Bartholino in Epiſtol. de Ovariis Mulierum pag. 18. ſeqq.* cui junge *Ejusd. Tract. de Diaphragmatis Structura cap. III. ſect. 5.* in *Parotide* glandulæ conglobatæ, circa radicem auricularum juxta conglomeratas conſitæ ac parotidum conglobatarum nomine inſignitæ: in *Strumis* vel *Scrophulis* glandulæ thyroideæ infra carti-

 laginem

laginem thyroidem aſperæ arteriæ adjacentes, quæ ab affectu, quo affligi ſolent, Strumæ & Scrophulæ quoque denominantur: in *Bubonibus* glandulæ ſub axillis & in inguinibus collocatæ, ac à loco, quem occupant, axillares & inguinales dictæ: in variis *aliis* externis corporis *tumoribus* glandulæ hinc inde ſparſæ, proprio nomine deſtitutæ v. g. pericranii, colli &c. rarius partes carneæ aut muſculoſæ, uti genæ: in *Rhevmatiſmo* denique perioſtia & muſculoſi generis membranæ, ſiquidem partes externæ membrorum dolentium utplurimum minime dolent, neque tactu dolor acui obſervatur. Atque ita expoſito Subjecto Quod ad Subjectum Quo me converterem, quod certi quidam poruli conſtituunt; niſi infra pag. 16. hi ipſi melius determinari poſſent, ubi meam de Forma catarrhi ſententiam declaravero. Quapropter proximum nunc eſt, ut

MATERIAM Catarrhi declarare allaborem, quam Serum eſſe dico, partem illam maſſæ ſanguineæ aquoſam & tenuem, quæ quidem, quamdiu rubicundæ ſanguinis ſubſtantiæ ſociata intra vaſa fluit, ſub illius purpura abſcondita deliteſcit; re vera tamen eadem, qua alias ab illa ſecedit, forma maſſæ ſanguineæ inexiſtit, ſolo motu globulis ſanguineis confuſa & ſuperficialiter tantum commixta. Hinc enim fieri obſervamus, ut non ſolum, ceſſante omni motu (quando ſcil. vel per adhibitam venæ ſectionem vel alio quocunque modo ſanguis è corpore effluens extravaſatur) integrales hæ duæ fluidi catholici partes brevi à ſe invicem ſecedant, dum ob gravitatem (quî enim externus hoc præſtare poſſit aër, nondum perſpicio) ad fundum ſecedenti & ob diluentis defectum coagulato cruori ſerum, majori gaudens particularum tenuitate atque levitate, innatare deprehenditur; ſed & idem modo ab altera ſanguinis parte ſecernatur, modo per vaſa peculiaria, in quibus ſub Lymphæ notione movetur, ipſi reaffuſum promte jungatur. Paulo autem ſtabiliori connubio particulas chyloſas (de urinario enim excrementitio hic non agitur) illi junctas eſſe ſtatuendum erit, ſiquidem plurimas earum, quæ præ aliis magis colliquatæ ac reſolutæ, i. e. tenues ac ſubtiles ſunt, ſemper ſibi combinatas ſervat, & per glandularum ſecernentium porulos ſecum abripit, nec cum ſanguine extravaſatum ex amplexibus ſuis dimittit, gravioribus licet ac craſſioribus aliis in coagulum aut mucaginem quandam vel gelatinæ ex flavo albeſcentis formam coëuntibus. Quod ſi præterea guſtus examini fluidum hocce ſubjicere lubeat, nulla illud, naturaliter conſtitutum, aciditate

aut

aut acrimonia ⊖ſa, alcalica, aut ⊖ſo-muriatica prædítum erit, quin potius, pauculis ⊖inis impregnatum ſpiculis, ſalſedinem ob diluentes aqueas & concurrentes nonnullas ſulphureas particulas temperatiſſimam papillis linguæ nerveis affricabit; quoad colorem autem clarum ſatis inſtarque aquæ limpidum viſui apparebit. Atque hæc eſt naturalis ſeri noſtri conditio, quam tamen rariſſime integram ſervare ſolet, quando in modica copia (quod ſi enim tantillum ſolummodo ejus peccaverit, ſcabies, impetigo ſimilesque affectus oriuntur) collectum catarrhorum materiam conſtituit; ſed diverſimode ab iſta recedens eam horum parit differentiam, à qua vel frigidi vel calidi vel ferini vulgo denominantur. Quando enim chyloſis interfuſis particulis abunde imbutum eſt, quæ lentore ac viſciditate ſua ſpiſſiorem craſſioremque ipſi conſiſtentiam tribuunt, ſimulque omnis acrimoniæ expertes prorſus inſipidum vel leniter tantum ſalſum acidumve quidpiam guſtui præſtant, catarrhus frigidus nuncupatur, laſſitudinem ac gravitatis ſenſum plerumque inducens. Quod ſi autem ob moleculas chyloſas deficientes aut nimium colliquatas & fuſas juſto tenuius exiſtat, ⊖ſæque præterea, bilioſæ, aut ⊖ſo-muriaticæ acriores particulæ acri ⊖ſo, alcalico, vel muriatico, illud ſapore imbuerint, catarrhum calidum dictum inducit, dolore intenſiori, rubore, phlogoſi ac efferveſcentia ſanguinis febrili ſæpiſſime ſtipatum. Denique ſi particulis ⊖inis nimium in fluorem evectis acidum acre corroſivum exſtiterit, aut tantum, uti quibusdam placet, exceſſiva quacunque acrimonia vel ⊖ſa vel alcalica, vel ⊖ſo-muriatica acidave undecunque ſuſcepta præditum fuerit, catarrhum ferinum denominatum generat, partesque, quas attingit, miſere corrodit atque exulcerat. Quamvis autem utplurimum ita ſeſe res habeat, ut materia catarrhi frigidi craſſa, calidi contra tenuis eſſe ſoleat, nullum tamen penes me relictum eſt dubium, quin frigida nonnunquam ejus materia ob aquoſitatem conjunctam aut inductam à calore fuſionem tenuis, calida autem cum ob particularum aquearum à calore abſumtionem, tum nimiam earum jamdum factam evacuationem, tum denique à frigore ortam condenſationem craſſa exiſtere poſſit, uti quidem exinde ſatis elucere arbitror, quod, ſi ab initio hujus mali tenue excernatur ſerum, in progreſſu tamen plerumque magis lentum ac craſſum obſervetur, ac verſa vice craſſiori illi interdum tenuius ſuccedere ſoleat, neque tamen ſemper catarrhum calidum in frigidum, aut

frigidum in calidum ſimul degenerare vero ſimile videatur. Quid? quod & ſapor ejus & color id ipſum ſatis ſuperque confirment, cum materia tenuior nonnunquam vel prorſus inſipida vel leviter ⊖ſa acidave ac ob ſalinarum ſulphurearumque particularum defectum pallida ac ſubalba obſervetur; craſſior autem ſæpius acris acida, ſalſa, alcalica ac muriatica ipſo judice guſtu exiſtat, quin & modo citrinum ob particularum ſalinarum ac ſulphurearum abundantiam, modo croceum à particulis commixtis bilioſis inductum, interdum etiam ſubviridem ab iisdem ob acidi cujuspiam concurſum vireſcentibus dependentem præ ſe ferre colorem deprehendatur. Malim itaque ego, determinaturus, Utrum catarrhus aliquis frigidus, an calidus dici mereatur? ad qualitatem materiæ peccantis, conjunctamne habeat acrimoniam, an vero ejus ſit expers, ſolummodo reſpicere, neglecta ejusdem conſiſtentia, utpote à qua ſolam Craſſi vel Tenuis denominationem deſumi poſſe exiſtimaverim. Sed quid de illorum nunc opinione, incerta dicam, an temeraria? ſtatuendum eſſe videbitur, qui, ſolum cauſarum Procatarcticarum rationem habentes, de hacce catarrhorum differentia ratiocinantur, ac à frigidis frigidum, à calidis autem ſimilem ſemper generari Catarrhum affirmant? Enimvero quamvis ſæpius materiæ peccantis & cauſarum externarum qualitates egregie conſpirare haud negem, quando ſcil. illæ vel ſimilem ſibi jam dum in corpore præſentem materiam offendunt, vel eandem, qua ipſæ gaudent, qualitatem ei imprimere atque inducere valent, vel denique fomitem ac pabulum gignendo catarrho magna ex parte demum ſuppeditant; nihilo tamen minus ſeri peccantis & cauſarum harum qualitates adverſa ſecum invicem fronte pugnare obſervantur, quandocunque illæ motum hujus vitiare, at qualitatem in corpore jam præſentis nequeunt immutare. Ecquem enim latet, balnei calidioris uſum ſolarisque ardoris longiorem perpeſſionem haud raro catarrhum frigidum excipere? Quis eſt tam hoſpes, non dicam in Medicina, ſed in vita communi, qui à ventis borealibus frigidaque tempeſtate catarrhos acres calidos ſæpius induci neſciat? Peſſime igitur illos ægrotorum rebus nonnunquam conſulere neceſſe erit, qui, erroneo iſto niſi fundamento, promiſcue catarrhos à calidis inductos frigidorum, à frigidis autem cauſis factos calidorum medicamentorum uſu expugnare conantur, non attendentes, ob cauſarum Antecedentis (utpote quam materiæ peccantis conditioni reſpondere in propatulo eſt) &

Pro-

Procatarcticæ diſcrepantiam Indicationes quodammodo contrarias ſæpius hoc in affectu obtinere. Quo quidem in caſu, v. g. ſi catarrhus ⊖ſus acris ac proinde calidus á frigore incautius admiſſo prolicitus fuerit, Indicationi primæ à cauſa Procatarctica deſumendæ omnino ſatisfeciſſe me exiſtimaverim, ſi ab omni frigore munire caloreque blando corpus foveri juſſerim, jamque, remota hac cauſa, medicamentis ſerum ⊖ſum acre attemperantibus, ac, ſi tenuitate peccaverit, ſimul incraſſantibus, ſin copia, evacuantibus Indicationi ſecundæ, ab Antecedente cauſa petitæ, ſuccurrendum eſſe ſuaſerim. Verum hæc *ὡς ἐν παρόδῳ·* nunc enim, ut in eam, à qua qua nonnihil declinavi, viam revertar, ipſam Catarrhi

FORMAM explicare aggredior, à qua Serum, tanquam materia, diverſimode alias peccans, ita determinatur, ut non alium, ſed hunc affectum in ſubjecto producat. Quam quidem Collectionem ejus cum aliqua ſtagnatione conjunctam eſſe ſupra innui, ſed accurate tamen ac perſpicue exponere vix licebit, niſi prius ea, qua fieri poteſt, brevitate declaratum fuerit, qua ratione ſerum hocce ipſique innatantem ſanguinem per partes nunc affectas alias naturaliter ferri exiſtimem. Statuunt equidem nonnulli arteriarum inter ac venarum vaſa capillaria plurimas dari anaſtomoſes ſeu inoſculationes, quarum beneficio ſanguis arterioſus immediate venarum canaliculis infundatur, ut non ipſam proinde partium ſubſtantiam permeare cogatur, ſed tantillum ſolummodo ejus per vaſorum tunicas tranſſudans in ipſarum porulos deponatur. Sed ne commemorem, quam difficulter ſecretionum nutritioniſque negotium hac ratione explicetur, cum fluidum nullum anguſtiſſimos ſubeat porulos, ubi patentiores meatus præſto ſunt, neque poruli iſti, in membranis arteriarum & venarum obvii, diverſi generis humoribus, ſalivæ, lymphæ, urinæ, bili &c. abſque aliorum conſortio tranſmittendis apti exiſtant; certe mutuæ hæ vaſorum implicationes neque ſenſibus, quantacunque licet adhibita diligentia, hactenus comparuerunt, neque vel lynceis unquam oculis poterunt inveſtigari. Etenim ſi arteriæ cuidam venæque ejus ſociæ cera liquefacta, diverſo tamen colore prædita, injiciatur, illa eo usque utraque vaſa capillaria ſubintrat, donec in ipſam partium ſubſtantiam penitus obliterentur; nunquam autem diverſæ tincturæ cera ſemet invicem attingit, aut ex uno vaſorum genere in alterum viam commodam invenit, certiſſimo indicio, nullas dari anaſtomoſes, quibus

utriusque generis vaſa ſanguifera ſecum invicem conjungantur. Effunditur igitur ſanguis ex arteriarum canalibus in ipſam partium ſubſtantiam, vel, clarius loquendo, in poros minutos à ſubſtantia illa efformatos, ſiquidem nihil aliud ſunt, quam ſpatia ſive interſtitiola (liceat enim aptiſſima, quamvis minus latina, voce mentem meam exprimere) inter fibras carneas ſimilesque relicta, per quæ liber ſanguini ex arteriarum vaſis capillaribus in venarum oſtia tranſitus conceditur. Præter hos autem alios etiam, ſed longè exiliores ac ab uno forte latere tantum patulos in ipſa fibrarum ſubſtantia porulos dari ſtatuo, qui ea gaudeant magnitudine ac figura, ut ſolum portio quædam ſeri chyloſa, rorida, balſamica; uno verbo nutritia, à præterlabente ſanguine ipſis intrudi ac velut incuneari poſſit, quæ non ſolum in infantibus fibras extendat, ipſisque aſſimilata quoad omnes dimenſiones ſtamina hæcce radicalia augeat, ſed & in adultis illius, quod perpetuo ſuo appulſu ſanguis detergit ac abradit, acredineque, ſi adæquata ſcil. viſcoſitate deſtituatur, diſſolvit ac imbibit, roridi glutinis balſamicæque ſubſtantiæ penuriam reparet atque reſarciat. Et hos quidem porulos fibris carneis ſimilibusque re vera inſculptos eſſe nemo certè, ſpero, inficias ibit, dummodo æqua mentis lance probe penſitaverit, an mediante ulla alia mechanica hæc ſucci nutrientis appoſitio fieri poſſit, aut facultati cuidam ſpiritibusve animalibus illud deferendum eſſe munus videatur, ut ex præterlabente maſſa quasdam arripiant particulas, fibrisque carneis vi quadam ſingulari adhærere faciant, aut alio quocunque tandem modo iis apponant. Quandoquidem autem porulos hoſce admodum minutos concipiendos eſſe ratio ſuadet, tantillum certe erit, quod fluidi iſtius nutritii recipere poſſint, cum reliqua maſſa eodem ferme temporis momento, quo in ampliores iſtos poros ab arteriis effunditur, à ſubſequente ſtatim ſanguine arterioſo protruſa in venarum oſcula impellatur. Atque ita quidem in membranoſis muſculoſisque partibus ſeſe res habet, cum in glanduloſis, utpote ad quas non nutritionis ſolum, ſed ſecretionis potiſſimum gratia ſanguis advehitur, tertii inſuper generis poruli adſint, ea quidem magnitudine ac figura præditi, ut particulis ſanguineis globuloſis minus reſpondeant, oblatum autem ſerum facile haurire poſſint, vaſis deinde adjacentibus lymphaticis ac ſalivalibus infundendum, aut per quarti generis poros (nam & hos in externa illarum, quæ vaſis excretoriis deſtituuntur, glandularum ſuperficie, à minorum tertii

gene-

generis pororum concurſu efformatos, admittere non erit abſurdum) aliorſum ſaltem evacuandum. Qua quidem mechanica pororum conformatione cum ſequeſtratio lymphæ egregie peragi posſit, nullo modo eorum ſubſcribo ſententiæ, qui à fermento quodam glanduloſo eam dependere ſtatuunt, cujus tamen neque naturam ſtabilemque ſedem ac agendi modum exponere, multo minus exiſtentiam probabilem reddere poſſunt. Verum cum venarum oſtia non ſolum ſero æque ac ſanguini recipiendo apta nata ſint, ſed & ipſis illis, quos dixi, tertii generis poris eadem ampliora ſtatui neceſſe ſit, ecquid aliquam ſeri partem in anguſtiores hoſce porulos coget, ac, quo minus omne à venarum oſculis abſorbeatur, impediet? Quod quidem negotium vix felicius declarari poſſe exiſtimaverim, quam ſi oſtia venarum ea magnitudine à ſapientiſſimo Conditore donata eſſe dicantur, ut ſanguinem quidem omnem maximamque ſeri, utpote individui ejus comitis, partem admittere poſſint, attamen non omni illi, quod per arterias in glandularum ſubſtantiam effunditur, abſorbendo ſufficiant. Cum igitur ex lege circulationis affluens ſemper cum ſero ſanguis illum, qui in porulos primi generis ſive maximos modo effuſus erat, impulſu ſuo propellat, ac, velut unda undam, trudat, venæ autem omnem eum recipere illico nequeant; Hydraulica nos docent principia, aliquam ſeri hujus partem ad omnia glandularum latera appelli, cumque fibræ ipſius impetui facile reſiſtant, nec ſecundi generis ſive fibrarum poruli diverticulum ipſi concedere poſſint, ſola autem lympha, tertii generis porulos jam tum obſidens, loco cedere poſſit, in dictos hos tertii generis poros neceſſitate mechanica protrudi atque impelli. Sicut autem naturaliter omne illud, quod partibus ab arteriis advehitur, ſerum vel cum ſanguine per venarum canaliculos ſtatim refluit, vel à poris tertii generis lymphaticis illico rurſus amandatur, tantillo ſolum eoque maxime balſamico relicto, quod partium ipſarum nutritioni impenditur; ita in ſtatu præter naturam ſæpe major ejus copia in partibus variis colligitur atque aliquo modo ſtagnat, ſicque eum, de quo hic agitur, affectum producit. Collectio enim hæc cum qualicunque ſtagnatione conjuncta eſt vera catarrhi forma, adeoque illico affectum hunc reſultare neceſſe eſt, ſimul ac ea modicæ ſeri copiæ, tanquam materiæ, à cauſis efficientibus inducitur. Et hanc quidem collectionem in omni catarrhi ſpecie præſentem cum tumor partium affectarum, tum copioſa in nonnullis ſeri excretio

ſigni-

ſignificant, quacum indivulſa ſemper copula ſtagnatio cohæret, eaque nunc major, quam in locis membranoſis ac muſculoſis maxime notabilem idem prodit tumor, nunc vero minor, qualis in glanduloſis partibus obſervatur, quæ peccantem deinde materiam vel vaſculis certis infundunt, vel per poros tantum excretorios aliorſum evacuare conſueverunt. Sicut enim in illis non idem ſemper numero ſerum ſtagnare videtur, quin potius aliqua ejus pars nonnunquam à fibris ſeſe contrahentibus venarum canaliculis intruditur, ac alia affluentis portio, hac ratione in motu ſuo intercepta, evacuatos ſtatim poros rurſus occupat; ita quoque in hiſce non eodem, quo porulos ſubintrat, momenti ictu ſerum ſtatim rurſus excernitur, ſed aliquamdiu ſubſiſtit, donec demum, vel copia vel acrimonia ſua fibris moleſtum, ab iisdem ejiciatur, ceu ipſe quoque notabilis earum tumor & per vices ac intervalla (quanquam pro ſeri acrimonia ac conſiſtentia varia nunc longiora nunc breviora) obtingens ſeri excretio ſatis ſuperque commonſtrant. Contingit autem collectio hæc ſeri cum quadam ſtagnatione conjuncta in ſecundi ac tertii generis porulis, cum in venis & arteriis nec non primi generis poris ſero ſemper ſanguis confuſus ſit, ac proinde, ſi quæ ibi obtingunt, totius maſſæ ſtagnationes, inflammationem comitem habentes, catarrhi ſtrictius dicti limites tranſcendant.

Expoſitis nunc de Forma catarrhi, quam tamen dein, conſideratis cauſis efficientibus, majori adhuc luce radiaturam eſſe confido, animi mei ſenſis, aliorum quoque de ea ſententiæ examinandæ mihi erunt, quas inter primo occurrit loco veterum per tot ſeculorum decurſum ad hæc usque tempora ſervata opinio, qui, Dorica veluti harmonia concinentes, Cerebrum ſentinam imò officinam materiæ peccantis ad unum omnes pronunciarunt, cujus proinde in partes ſubjectas defluxus atque deſtillatio veram catarrhi formam conſtituat. Cumque ſequentium temporum Doctores ſemel hauſtam hanc doctrinam, inſtar teſtarum recentium, firmiter imbibiſſent, attamen plurimis eam difficultatibus obnoxiam eſſe perſpicerent, in id omnem ingeniorum aciem intenderunt, ut variis eam non argumentis, ſed figmentis, tanquam totidem criſtis, exornarent, quo ſpecioſior facilius alios in ſui amorem pelliceret. Quæ quidem omnia hic recenſere atque refellere cum nimis longum foret tum prorſus inutile, ſiquidem non ſolum CL. *Schneiderus* jam

dudum

dudum integra volumina, exigua quamvis cum Lectoris gratia, iis impendit, ſed & ſponte ſua concidant neceſſe eſt, dummodo vias iſtas, per quas catarrhi materia è cerebro deſcendere creditur, minus aptas eſſe evincatur.

Quem quidem in finem I. nunc conſideranda erit pars illa oſſis Sphænoidis ſive Cuneiformis, quam Sellam equinam & Turcicam vel Ephippium Anatomicorum filii appellant, ſiquidem plurimis eam foraminulis perviam eſſe veteres ſtatuunt, per quæ ſeroſa, in glandula pituitaria collecta colluvies ad cœlum oris concavum, palatum ſcil. deduci poſſit, in fauces deinde, bronchum, pulmones, ac ventriculum depluendo atque deſtillando plurimorum morborum generationi materiam ac fomitem pernicioſum ſuppeditans. Et quid ni ita ſtatuant? cum doctrinæ hujus veritas experimentorum beneficio ad oculum demonſtrari poſſe videatur, quibus conſtat, ſi ſellæ Turcicæ vitulinæ, à reliquis oſſibus ſeparatæ & à membrana obvelante denudatæ, deſuper liquor aliquis affundatur, ſtatim eum foramina ibi præſentia ſubintrare, ac, peragrata tota oſſis ſubſtantia, per alia foramina, in lateribus ejus patentia, illico exſtillare. Verum enim vero præterquam quod non immediate glandula pituitaria ſeſe in foramina iſta poſſit exonerare, cum membrana, quam removendam eſſe monui, totum hoc os ipſumque, quo glandula repoſita eſt, ejus ſinum obtendat, cujus quoque poruli, cum tenuis ac ſubtilis ſit, foraminibus illis haud reſpondent nec pituitam transmittere poterunt; admodum infirmo ſententia hæc talo niti cœpit, ubi foraminum horum examini Anatomici accuratiſſimi diligentiorem impenderunt operam, quorum manus (ut cum Plauto loquar) oculatæ erant, credentes quod videbant. Ab hoc enim tempore diu multumque nec ſine magna animorum contentione Viri Celeberrimi controverſiæ ſerram reciprocarunt, Utrum ſella hæc equina in craniis humanis re vera foraminibus quibusdam pervia ſit, an vero tantummodo brutorum nonnullorum oſſa iis gaudeant? aliis nulla in homine oculorum aciei comparere affirmantibus, quibusdam vero, autopſiam autopſiæ contrariam urgendo, ea omnino dari proclamantibus. Cui pugnam hanc aliqua ex parte inſpectare volupe fuerit, adeat *Schneider. Lib. I. de Catarrh. Sect. II. cap. VI.* ubi hiſtoriam ejus à CL. Auctore traditam inveniet; cum interea vel oculos eorum, qui foramina hæcce ſemper adeſſe voluerunt, Antiquitatis auctoritas perſtrinxiſſe, vel animos cæcus litigandi aut ſemel latam

 ſen-

ſententiam quovis modo propugnandi impetus abripuiſſe videatur, adeoque ego quidem omnino hîc acquieſcendum eſſe exiſtimaverim in effato Viri cum ab omni partium ſtudio alieni, tum longe perſpicaciſſimi, *Thom. Willis*, quando in *Anatom. Cerebri cap. XII. p. m. 59. Foramina*, inquit, *iſta in quibusdam animalibus, ac ut plurimum in cranio humano, omnino deſunt.* Accedit, quod allatum ſuperius experimentum ne evincere quidem poſſit, in illis etiam animalibus, quibus rete mirabile adeſt, ſellaque equina perforatur, humorem è cerebro in palatum deferri, cum alium foraminum horum exitum laudatus modo *Williſius l. c.* detexerit. *Quibus*, ait, animalibus foramina iſta *adſunt, uti vitulo, imprimis obſervare eſt; quod eadem à vaſis quibusdam cavis implentur; quibus ſi liquor atratus per ſyringam injiciatur, iſte, oſſis compagem trajiciens, plurima alia vaſa, oſſi ſubjecta, ac demum venæ jugularis truncum pervadet; quod certo indicio eſt, humores exinde in palatum minime deferri: quoad vaſa autem, quæ oſſis foramina obducunt, quæque numeroſius eidem ſubjiciuntur, aut venæ aut lymphæductus eſſe videntur.* Similia quoque vaſcula in capite humano, foraminibus iſtis deſtituto, in utroque tamen ſellæ Turcicæ latere adeſſe primus, quantum ſcio, experimento certus factus eruditum docuit orbem Anatomicus dexterrimus, *Richard. Lowerus in Tractat. de Corde cap. II. p. 160.* à quo etiam illud mutuatus eſt Vir Celebratiſſimus, *Stephan. Blancardus in Anatom. Reform. Part. II. cap. X. p. 122.* Cum autem ipſe Auctor in *Tract. de Catarrh.* cujus tamen copia mihi fieri non potuit, aquæductus hos non ſolum icone illuſtraverit, ſed & magis perſpicue (quamquam iisdem fere verbis, quibus in *Tr. de Corde* utitur) expoſuerit, lubet ea hîc inſerere, quæ ex Tract. iſto inſigne illud Academiæ Heidelbergenſis decus, *Joh. Conrad. Brunnerus in Exercit. de Glandula Pituitaria cap. VII. p. 27.* excerpſit. Ita ergo *Lowerus: Duo vaſa ex utroque ſellæ turcicæ latere conſita ſunt, quæ hiantibus oſculis aquam omnem è glandula pituitaria deſtillatam excipiunt, & in venas jugulares utrinque extra calvariam deponunt, quorum ductus facile patebunt, ſi aqua aut lac è ſiphone in venam jugularem utramvis prope calvariam injiciatur, mox enim conſpicietur prope glandulam pituitariam erumpere & ſcaturire.* Subjungo ea, quæ de experimentis Williſii atque Loweri Ingenioſiſſimus *Brunnerus in citat. Exercitat. Cap. III. p. 11.* commentatur. *Vas*, inquit, *peculiare excretorium hactenus nemo vidit: Duo enim illa foramina, quæ deſcribit Doctiſſ. Lowerus de Catarrh. quæque facile me reperturum putavi, non ſunt niſi venarum propagines, è quibus*

quibus diſciſſis, ſi experimento Loweriano ope ſiphonis in venas jugulares prope calvariam injiciatur humor atratus, ſalit idem & copioſe prope ſellam Turcicam. Et rurſus *cap. VII. p. 27. Ductus*, ait, *quos detexerunt, non ſunt niſi venarum propagines, ceu ſupra jam monui. Foramina in capite vitulino oſſi cuneiformi inſculpta ducunt ad ſubjectum oſſi ipſi immerſum vas ſanguiferum, quod in binos rivos diviſum reflectitur utrinque ad venas jugulares, & hæc cauſa eſt, cur lac aut atramentum aut liquor alius, ſi prope calvariam in jugularem injiciatur, ſaliat idem prope pituitariam. In capitis humani anatome injeci ope ſiphonis ceram rubicundam in alterutram jugularium ligata altera; Penetravit ſplendide usque ad glandulam pituitariam, quam inſtar coronæ anterius ambivit, infra autem ſinus ſphænoideos adimplevit: nullum tamen vas excretorium diſcernere aut videre potui.* Ex quibus omnibus facile nunc colligere licet, nulla dari patula ejusmodi foramina, qualia ſero in palatum transmittendo apta ſellam Turcicam perforare veteres finxerunt, ſiquidem non ſolum cranium humanum illis utplurimum omnino deſtituitur, ſed & quæ in brutis jam olim cognita erant, quæque in utroque ephippii humani latere à recentioribus reperta ſunt, vaſculis quibusdam, procul dubio venoſis, immiſſum liquorem in venarum jugularium canales deferentibus, intus obducuntur. Sed nonne præter hæcce ſenſibus noſtris obvia foramina cæci nonnulli dantur ductus, qui ipſam quoque ſellam Turcicam perreptantes à calore vitali ſpiritibusque dilatentur, mortuo autem animali ob eorundem deficientem energiam ſtatim evaneſcant? Audio quidem nonnullos magna voce haſce deblatterare nugas, inveniſſe ſeſe ratos, non quod pueri in faba. Sed quis iis, quæſo, in aurem dixit Apollo, inſenſibiles ejusmodi hîc adeſſe meatus? Certe nec tam exiles eſſe queunt, ut non aliquod ſui veſtigium in ſella equina relinquant, nec ullo modo dilatari poſſunt, quin ipſi quoque, per quos transeunt, oſſis poruli ſimul amplientur. Jam autem ſi utramque oſſis hujus laminam intentis intueamur oculis, nullus hîc vel ſubtiliſſimo ductui transmittendo aptus conſpici datur porulus, tamque ſolida ac compacta harum laminarum eſt ſubſtantia, ut ne muliercula quidem ſomnians ejusmodi ſibi vim ſpirituum ac caloris noſtri fingere poſſit, quæ arctiſſimam duriſſimi oſſis compagem laxiorem reddat porulosque ejus minutiſſimos dilatet. Res profecto mira hæc eſt, ſi non *ἐκ τῶν γελοίων*. Quare ſi qui adhuc reginæ Veritati victas dare manus dedignentur, nec præconceptæ opinionis nubem, quæ oculos eorum ha-

ctenus obfuſcavit, removeri ſibi patiantur, eos cum Demetriis & Tigelliis Horatianis non quidem diſcipularum, ſed

Diſcipulorum inter jubeo plorare cathedras.

Prodeat igitur IIdo loco nunc in ſcenam os Ethmoides ſive Cribriforme, pluribus foraminibus inſtar cribri (unde etiam nomen duxit) pertuſum, per quæ multas humiditates, in ventriculis cerebri antea collectas, in ſtatu cum ſecundum tum præter naturam in narium cavernas effundi, quin &, docente Celeberrimo *Isbrando de Diemerbrœck in Anatom. Lib. III. cap. VIII.* ad ipſas quoque fauces deſcendere, non veteres ſolum ſed & recentiorum nonnulli arbitrantur. Quod ſi ſententiam hanc omni, quo fieri poſſet, apparatu impugnare animus eſſet, non adeo difficile futurum arbitror, integras argumentorum cohortes in aciem educere, magna ex parte à primo hujus belli Duce, CL. *Schneidero in Lib. de Oſſe Cribriformi* jam olim comparatas ac deinde plurimarum acceſſione à Viris aliis Doctiſſimis egregiè locupletatas. Verum cum non tam multitudini quam robori ac firmitati copiarum confidere præſtet, paucis rem omnem expediturus moneo, foramina quidem oſſi Cribriformi plurima inſculpta eſſe, quæ in exſiccatis ac probe mundatis craniis viſui ſatis obvia ac omnino pervia deprehenduntur; attamen eadem in recentibus illis & adhuc ſuccidis duræ meningis inſertionibus ac nervoſis propaginibus ita infarcta ac obturata reperiri, ut nihil prorſus liquoris alicujus, ut ut limpidiſſimi, imo ne ipſum quidem aërem transmittant. Sed hæc veteres ſolum, non autem recentiores ſententiæ hujus Patronos feriunt, utpote qui, hanc foraminum iſtorum eſſe conditionem utraque mihi largientes manu, uno ore docent, nervos olfactorios ſive proceſſus mammillares vulgo dictos cavitate notabili cum in brutis tum etiam in homine donatos eſſe, inque anteriores cerebri ventriculos aperiri atque dehiſcere, ut ita promte eos collectam in illis humiditatem excipere exceptamque ad os usque cribriforme deferre poſſe vix negandum eſſe videatur. Cum autem nervi hi, ubi ad proceſſus, Criſtæ galli nomine inſigniti, latera pervenerunt, dura piaque meninge involvantur, ac in plurimas fibras & filamenta tenellula dirimantur, ſicque demum foramina oſſis pertranſeuntes in tubulatas narium cavernas deferantur; in diverſas abire ſententias Auctores hos obſervo, declaraturos, qua ratione per exiguas haſce fibrillas liquor iſte è nervorum cavitate in narium antra poſſit ablegari. Etenim CL. *Diemer-*

brœckius

brœckius loc. cit. propagines iſtas proceſſuum mammiformium (hos autem non nervos olfactorios ſed ductus eſſe ſtatuit, per quos pituitoſa excrementa è cerebri ventriculis anterioribus defluant) inſtar tubulorum minutorum excavatas eſſe fingit, *Craſſa meninx,* inquiens, *iſtos oſſis cribriformis ſinus inveſtiens, eo loco inſtar cribri multis foraminulis non tantum perforata eſt, verum etiam multis exilibus tubulis, per cribroſi oſſis foramina protenſis, aperitur in fungoſas narium carnes, oſſibus ſpongioſis inhærentes, per eosque tubulos pituitam è cerebri ventriculis transmittit atque deducit in dictas carnes & narium oſſa ſpongioſa, ſuperiore parte iis inhærentia, ac dicta fungoſa carne oppleta.* Longe ſubtilius Ingenioſiſſimus *Williſius in Anatom. Cerebri cap. XII. pag. 60.* his ipſis de viis ratiocinatur, porulos harum nervoſarum propaginum, utut exiguos, aptos eſſe judicans, per quos è proceſſibus mammillaribus humiditates ita deſtillare poſſint, uti per eos ſpecies ſenſibiles, continuata ſpirituum animalium undulatione, adſcendant. *Suppoſito,* inquit, *quod humor ſeroſus non modo apertos canales, ſed strictiores etiam nervorum poros & meatus trajiciat, atque fibras & membranas, tanquam filtri lacinias, perreptans de loco in locum transferatur (quod equidem facile erit demonſtrare;) quid obſtat, quo minus ejusmodi latex per fibras oſſis colatorii foraminibus impactas deſcendat?* Confer quæ hac de re leguntur *cap. XXI. p. 109. ſeq.* Quanquam autem hæcce, ingenioſe ſatis ficta, egregiam probabilitatis ſpeciem prima fronte præ ſe ferant, prorſus tamen ficulneo ea niti fundamento deprehendo, cum proceſſus mammillares non ſolum in brutis ſed & in homine concavos ad ventriculos cerebri hiare (ut ita loquar) præſupponant. Sicut enim in brutis plerisque ita ſeſe rem habere facile largior, ita proceſſus hos mammillares in cerebro humano nulla notabili gaudere cavitate aſſerere haud vereor, oculatiſſimorum trium (quid enim opus eſt, plurium me jactare ſuffragiis) hujus temporis Anatomicorum nixus auctoritate, *Raymundi Vieuſſens in Neurograph. univerſ. Lib. III. cap. II. Johann. Bohnii in Circulo Anatomico-Phyſiolog. Progymn. XXV. p. 390. & Joh. Conrad. Brunneri in Exerc. de Glandula Pituit. cap. IV.* qui dictos proceſſus in homine nulla ſenſibili cavitate præditos, ſed ad ſenſum omnino impervios eſſe autopſia Anatomica certi affirmant. Jam autem ſi hi ipſi proceſſus cavitate omni notabili deſtituuntur, ecquis fibras eorum ac propagines tenerrimas tubulatas eſſe credet? aut ſi credat, nullus tamen datur hic canalis intermedius, cujus beneficio

 ex

ex ventriculis cerebri liquor iſte fictitiis hiſce tubulis poſſit infundi. Eodem quoque telo Williſii ſententia icta ſponte ſua nunc concidit. Qua enim ratione porulis nervoſarum propaginum, per os cribroſum transeuntium, humor ſeroſus inſtillabitur, cum tubuli nulli adſint, qui, è ventriculis cerebri orti, in illos tandem abſumantur. Nec ipſorum proceſſuum mammillarium porulos advehendis humiditatibus aptos eſſe quisquam affirmabit, cum ſubſtantia eorum admodum mollis, tenera, minutiſſimisque porulis prædita, uno verbo, maximam partem medullaris exiſtat, quam non æque ac nervoſas eorum propagines, firmiorem jamdum conſiſtentiam nactas, humor aliquis perreptare poterit, utpote quas ipſas porulorum ac meatuum ſuorum ordinem magis integrum ſervare, ac transeuntis humoris, præſertim viſcidioris aut copioſioris, preſſioni facilius reſiſtere Mechanica confirmat. Quanquam adhuc ſub judice lis eſt, an nervoſorum corporum meatus ac cæci ductus copioſum, uti vult Williſius, humorem transmittant, cum maximis adhuc, iisque nunquam, credo, tollendis difficultatibus eorum laboret ſententia, qui ſuccum aliquem ac liquorem nervoſum dari ſtatuunt, ſpiritibus animalibus per nervorum canales decurrentibus vehiculi loco inſervientem. Sed quid eidem reſpondebo *Williſio*, quando talem excretionis viam in nares dehiſcentem omnino exſtare obſervationibus circa ægrotantes habitis *loc. cit.* confirmare ſtudet, ſe aliquos affectibus vertiginoſis & cephaleæ immani obnoxios noviſſe memorans, quibus ſub finem paroxyſmi aquæ limpidæ, nonnunquam & flavæ, ingens copia è naribus exſtillarit, cujusmodi evacuatione, velut critica, paroxyſmus terminari conſueverit. Verum enim vero non immerito dubitari adhuc poſſe videtur, Utrum liquor ille ex ipſo cerebro deſtillaverit, an vero potius à glandulis membranæ, oſſa turbinata amicientis, expreſſus fuerit, cum antea acrimonia aut alia incongruitate ſua nervulos ibi præſentes pungendo, rodendo, lancinando diverſimode vellicaſſet ſicque inordinatum ac tremulum ſpiritibus animalibus motum triſtemque cerebro ſenſationem per conſenſum induxiſſet. Quod ſi etiam detur *Williſio*, humorem iſtum ex ipſo cerebro per foramina oſſis cribriformis depluiſſe: certe inde concludere non poterit in omnibus craniis patulas ejusmodi adeſſe vias, cum in iſtis, quæ memorat, ſubjectis vel ſingularis à primo ortu oſſis hujus conformatio, vel ab humore demum acri facta ejus eroſio aliave ſubſecuta depravatio deſtillationi huic favere potuerit.

tuerit. Præterquam enim quod oſſis hujus ſubſtantiam in lue venerea ſæpius ejusmodi vitium contrahere frequentiores Auctorum obſervationes teſtentur, nullum plane dubium eſt, quin etiam alias ab humoribus, leviori acrimonia præditis, ejusmodi eroſio fieri posſit, ſi præter naturam vel in ipſius cranii ſpecu, forte inter ipſum os ac duram meningem, colligantur, vel à membrana oſſium turbinatorum, ad os ipſum usque extrinſecus exporrecta, foveantur, cum Practicus accuratiſſimus, *Felix Platerus*, foramina plura in oſſibus calvariæ præſentia in catarrho nonnunquam erodi atque ampliari obſervaverit, in declaranda licet ejus cauſa minus accuratus. Ita enim ille *in Schol. ad Obſerv. I. §. 5. Foramina in baſi calvariæ ſoporales arterias transmittentia, nec non alia ad palatum oculorumque cavitates pertinentia, in multis adeo eroſa & ampliata reperi, ut non jam vaſorum, quæ ducebant, amplitudini reſponderent, ſed duplo quoque vel triplo majora exiſterent, quod à continuo humorum à cerebro defluxu, uti gutta cavat lapidem, profectum licebat colligere.*

Enim vero vereor, ne quis nihilominus mihi objiciat, nondum ſatis evictum eſſe, catarrhi materiam à cerebro in partes ſubjectas immediate depluere non poſſe, cum III. nonnulli quævis totius calvariæ interioris foramina fibrillis ac vaſculis intus quidem obducta concedant, attamen non ita iis infarcta & oppilata eſſe ſtatuant, ut nullum amplius inter fibras & vaſcula ipſamque oſſis ſubſtantiam ad latera defluxuro humori ſpatium relinquatur. Sed hi nodum in ſcirpo quærere mihi videntur, cum foramina omnia ſolo eo, per quod ſpinalis medulla deſcendit, excepto in craniis recentibus ita obturata reperiantur, ut ne guttulam quidem limpidiſſimi humoris vel ipſum etiam aërem poſſint transmittere. Quid? quod novos eosque plurimos fingere cogantur canales, per quos ex interna cerebri ſubſtantia humores verſus exteriorem ejus ſuperficiem deducantur, ut, eam inter & calvariam depoſiti, proximi cujusque nervi vel arteriæ ductum ſequantur, ſicque per diverſa foramina in oculorum, narium, auriumque cavernas aliaque loca deſcendant. Sed proh! qualis hæc eſſet fingendi licentia? Certe

Neſcio? an Anticyram ratio illis deſtinat omnem?

Neque IV. multis eorum refutare ſententiam neceſſe eſt, qui per arteriarum venarumque canales catarrhi materiam è cerebro immediate ad partes ſubjectas ferri docent, cum, perpetua circulationis ſanguinis lege illud jubente, arteriæ, ſolummodo eum ad

quas-

quasvis corporis partes, deferentes, nihil omnino inde rurſus abſorbeant; venæ autem omnes (ſi à ſola vena Portæ diſceſſeris) quicquid auferunt, non ad alias partes devehant, ſed mari ſanguinis rubro, dextro cordis ventriculo infundant. Unde, ſi quid materiæ catarrhoſæ venarum canales è cerebro recipiunt, id non immediate ad partes ſubjacentes defertur, ſed iis demum cum ſanguine ab arteriis advehitur, quando, jam per dextrum cordis ventriculum pulmonumque ſubſtantiam delatum, è ſiniſtro cordis ventriculo in arteriarum canales exprimitur. Utrum autem ejusmodi materia vitioſa à cerebro per tubulos venoſos amandetur, nec ne, inferius patebit, ubi ad Cauſarum Procatarcticarum examen præſens deveniet tractatio, dum interea ex hactenus diſputatis indubitato concludere licebit, nullas adeſſe vias, per quas materia catarrhoſa immediate è cerebro in partes ſubjectas defluere poſſit, adeoque falli omnes, quicunque immediatam ejusmodi deſtillationem catarrhi Formam conſtituere arbitrantur.

Quod quidem ipſum cum magni ille nominis Philoſophus, *Joh. Baptiſta van Helmont* jam olim ſubolfeciſſet, aliam longe ille catarrhi formam eſſe docuit, quæ ex *Tract. Aſthma & Tuſſis inſcripto §. 4.* in eo, quod Vulcanus (ſive Archeus; vid. *Tract. Archeus Faber)* Corruptor ex bono partium affectarum alimento catarrhi materiam fabricet, breviter dici poterit conſiſtere. Clarius tamen idem mentem ſuam explicavit in *Tract.* quem *Catarrhi Deliramenta* appellat, ubi §. 3. *Non ex uno*, inquit, *fonte, capite humano ſcil. ſed ex propria cujusque partis idiopathia ſive propria indiſpoſitione , fermentis topicis ſuperinducta, morbi oriuntur.* Quod quidem plenius *in eodem Tractat.* §. 58. declaravit, ubi rationem expoſiturus, cur ſæpius aliquis dolens capite, abinde ſentiat cervicem dolentem, motum difficilem, noctem inſomnem, mox dolor ſe manifeſtet in lumbis, tradux inde ad femora, dein ad ſuras atque pedes deſcendere videatur, *Sciant ergo*, inquit, *veritatis amantes, quod quoties in ſpiritum impetum facientem aura peregrina, odor, fermentum ſive ſemen exoticum ſuſcipitur, toties ab Archeo contaminatus ille ſpiritus à communione vitæ excludatur. Genius autem, ſive indoles ſeminis concepti illius, non minores partes habet, ut etiam ad diſſita potius quam ad propinqua loca mittatur fermento alieno deturpatus ſpiritus. --- Porro cum hic deturpatus ſpiritus ad ſuæ miſſionis locum devenerit, confeſtim partis nutrimentum ſuo fermento imbuit, transplantat atque traducit juxta ideam ſeminis, illudque ſucceſſivis*

hauſtis

hauſtis afflatibus, peregrinis diſpoſitionibus munia digeſtionem ibidem interturbat. Unde copioſam ſuppellectilem demum ſuſcitat, ac non raro impreſſionem ibidem ſpiritui inſito, in vitam ſtigmate durabili characterizat. Verum enim vero utinam ſcire ac intelligere poſſent veritatis amantes, quid ſibi hiſce velit Helmontius! Utinam ipſam hîc intueri Junonem liceret, nec umbram tantum aut confuſam imaginem veluti per nebulam cernere daretur! Certe nec Delphica oracula fuerunt obſcuriora, nec Platonici numeri abſtruſiores, quam hæc Helmontii doctrina. Nemo illam, juraverim, præter Sibyllam aſſequetur, ſi modo ipſe eam intelligat Apollo. Qualia enim ſunt illa aura, odor, fermentum ſive ſemen, in quæ omnis culpa hîc rejicitur? Quid eſt illud peregrinum, illud exoticum, quo peccare ea dicit Helmontius? Quomodo illa à ſpiritu impetum faciente ſuſcipiuntur? Qua ratione agunt in ſpiritum, ut eum contaminent, deturpent, ſicque Procatarcticæ morborum cauſæ exiſtant? Explicare hæc deberet Helmontius, nec verborum apparatum offerre, ubi merces promittit. Quemadmodum enim eſuriens nullam capiet voluptatem, ſi vel vaſtiſſima nucum copia ipſi offeratur, quæ vel nullos continent nucleos vel effringi ab ipſo nequeunt; ita veritatis amantibus, quos hîc Auctor advocat, verbis ſatisfieri nequit, niſi quid iſta ſibi velint ſimul aſſequantur. Sed fortaſſis clariora erunt ſequentia, quibus Antecedens morborum cauſa explicatur? minime vero! Quisnam enim ille eſt Archeus ſive principium vitale, cujus meminit Helmontius? Quomodo ſentit aut intelligit, ſpiritum illum eſſe contaminatum? Qua ratione illum à communione vitæ excludit, excluſumque in certam aliquam corporis partem mittit? Nec minori obſcuritate laborant ea, quæ de ipſa morborum forma hîc adducuntur. Qua enim ratione ſpiritus deturpatus, ubi ad ſuæ miſſionis locum veniens Cauſa malorum proxima exiſtit, fermentum ac nutrimentum partis corrumpit? fermento, credo, novo illa imbuit, transplantat, traducit juxta ideam ſeminis? Sed quale utrumque illud eſt fermentum? qualis illa idea ſeminis? quales illi ſucceſſivi afflatus? quisnam horum omnium agendi modus? Scil. omnia eundem ducunt colorem. Ἡ ἀσάφεια κακία τῆς ἑρμηνείας. Certe Delio hîc natatore opus eſt, ne quis undis hiſce merſus ſuffocetur.

Quare retrahens hinc gradum ad *Conrad. Victoris Schneideri*, viri optime non ſolum de cerebro humano, ſed & de Rep. Medica meriti,

ſententiam me converto, qui cum Jovis hanc regiam Palladisque patriam materiæ catarrhoſæ natalem locum haud eſſe, quin potius eam cum ſanguine ad partes corporis affectas deferri inque illis deponi docuiſſet, Catarrhum *lib. IV. ſect. I. cap. II. ſub fin.* definiturus dicit eſſe *Symtoma præter naturam excretorum è maſſa ſanguinea.* Plura de Forma catarrhi in genere in medium haud affert, nec, quomodo depoſitio illa materiæ catarrhoſæ à ſanguine fiat, exponit, niſi quod *lib. II. de Catarrh. ſect. II. cap. VII. p. 463. Omnis humor*, inquiat, *de quo Catarrhus naſcitur, ineſt in ſanguine huicque mixtus vaſculis circumfertur, tandem cogitur & de iis emittitur. Natura eſt rectrix ſanguinis boni conſervatrix, mali exactrix. Hæc ſcit vaſa reſerare in eamque rem uti impetu & tenuitate hauſti aëris, nec non & illorum humorum, quorum plenus eſt ſanguis.* Paulo clarius de nonnullis Catarrhi ſpeciebus mentem ſuam exponit, quando *lib. III. ſect. II. cap. III. p. 509. ſeqq.* in certis partibus materiæ peccantis à ſanguine emiſſionem præternaturali transſudatione, exſudatione, & colatione quadam membranarum fieri docet, ac *lib. IV. cap. II. p. 50. Sudor*, inquit, *eſt etiam naturalis & præternaturalis, ut oſtendunt Valleſius & Baricellus. At inquis, ſudor non eſt naturalis: nam cutis humana naturaliter non madet. Eſto: dicamus ergo ſine ſimilitudine id, quod res eſt. Tunicæ narium, oris, gulæ, laryngis, membrana pituitaria, glandulæ maxillares & tonſillæ paululum humoris mucoſi & aquoſi inſtar ſudoris naturaliter emittunt; ſi vero ille humor ſit viſcidior ſive tenuior, vel qualitate, ut hic loquuntur Medici, vel quantitate ſit vitioſus, illa excretio humorum non amplius eſt naturalis, ſed, ut vocant, præternaturalis ac Symtomatica.* Eadem quoque ratione, attamen paulo ſpecioſius, rem totam explicat celeberrimus *Guernerus Rolfincius, Diſſert. Anatom. lib. VI. cap. LVII.* docens, vaſcula ſanguifera in narium & faucium carnibus aranearum telæ inſtar divaricari, & videri lacinias & laceras veſtium attritarum præ ſe ferre particulas, per quas materia catarrhoſa roris in modum transſudet, uti aqua per fictiles ollas, crudas adhuc & nondum incruſtatas, ut ita per ἀδήλους membranæ narium & palati πόρους tranſeat ac ſenſim ſenſimque muci naturam induat, uti nitrum & ammoniacum ſal aqua ſolutum per ollas coquinarias transſudat floribusque candidis externam ſuperficiem coronat. Nolo ſingula hæcce ſub incudem revocare, quæque hîc deſiderari poſſent prolixius perſequi, cum, etiamſi omnia concedantur, nondum tamen explicatum ſatis ſit, qua ratione illa fiat ſeri in partibus depoſitio, copioſior quam alias à ſanguine

guine

guine ſequeſtratio, perque membranas transſudatio, cum facultates ejusmodi expultrices ac retentrices quaſi intermortuæ nusquam hodie in Scholis Medicis ſpirent ac inſtar exciſarum arborum in novos errorum fructus regerminare neſciant; nec apertura illa ac divaricatio arteriarum rem ullo modo expediat, ſiquidem, ſimul ac eæ dividuntur & inſtar telæ aranearum explicantur, ſanguis ſerumque ſtatim ex earum canalibus elabitur, ſicque nulla deinceps ratione ab hac divaricatione affici poteſt atque ſequeſtrari.

Neque tandem multum mihi negotii faceſſit CL. *Joann. Fernelius*, quando *Lib. V. Patholog. cap. IV.* præter internum Catarrhum etiam externum dari ſtatuit, *Aliud præterea*, inquiens, *in externis partibus capitis excrementum colligitur, maximeque ſub cute verticis, quo venarum per faciem & tempora in caput irrepentium extrema deſinunt. Quoties enim hæ vel ſero vel humore multo turgent, alimenti reliquias & ſupervacua ſub cutem effundunt, quæ præ cutis craſſitie atque denſitate vaporare foras vix queunt. Horum coagmentatione aſſidua tantus interdum cumulus fit, ut tumor ceræ inſtar mollis promineat cutem condenſans eamque à calva plurimum disjungens. Hic certe fons, hic fomes eſt omnis externæ deſtillationis, quam miror neminem omnium veterum animadvertiſſe. Hinc in externas corporis partes fertur deſtillatio, in oculos, in maxillas, in dentes, in cervicem, in ſcapulas, in brachia, in latera, in dorſum, in lumbos, in coxendicem, in crura, in omnes denique articulos: eaque tum omnis arthritidis, tum omnis fere externi doloris cauſa eſſe deprehenditur.* Concedo equidem quam lubentiſſime Fernelio, tumorem interdum in vertice colligi, ſed non levis mihi ſuboritur dubitatio, utrum ille cranium inter ac pericranium, an vero potius in ipſis pericranii glandulis ſubcutaneis porulisque colligatur; aut, ſi quis ibi adeſſe obſervetur, an à ſero ſolo ac non potius ſanguini mixto oriatur, cum non dixiſſe ſufficiat, materiam hanc à vaſis ſanguiferis effundi, ſed qua ratione ſerum hic à ſanguine ſequeſtretur ſit demonſtrandum. Sed detur Fernelio, ſerum ſolum (forte è glandulis porulisque pericranii expreſſum) ibi colligi poſſe; nondum tamen ſatis apparet, qua ratione id ipſum inter cranium ac pericranium, utpote arcte cohærentia, ita defluere poſſit, quin eadem notabiliter à ſe invicem ſejungat; aut, etiamſi ad cervicem usque depluat, quomodo inter panniculum carnoſum ſive membranam adipoſam muſculosque ſubcutaneos ad extremas usque partes poſſit deſcendere. Etenim, ut taceam, quam difficulter ejusmodi tumores ſub cute capitis exiſten-

tes ſede ſua emoveantur, quomodo humores iſti per impervia hæcce loca viam ſibi parare ac tantum iter breviſſimo temporis ſpatio conficere poſſint, nondum perſpicio; aut, ſi poſſint, qui illud absque dolore atrociſſimo fieri poterit, qui tamen nec in omnibus, quæ tranſire deberent, locis nec tantus plerumque obſervatur? Præterea materiam iſtam in oculos, maxillas, dentes (addunt nonnulli ejus aſſeclæ, os, nares, aures) deſtillare, id certe, ſi mula pepererit, evinci poterit, cum ea, ob gravitatem neceſſario deorſum vergens, cavitates has prætervehatur, nec (uti quidem, ſi haſce intraret cavernas, fieri deberet) modo deſcendere modo adſcendere ac recurvo varioque alio ductu ferri poſſit. Atque ita, refutatis aliorum de Forma Catarrhi ſententiis, in ea, in qua antea ſubſtiti, ſemita nunc progreſſurus ad

CAUSÆ EFFICIENTIS PROXIMÆ ſive Immediatæ declarationem me accingo, quæ ſero, tanquam materiæ, in certis partium affectarum porulis, utpote ſubjecto, collectionem cum aliqua ſtagnatione conjunctam, veluti formam, inducere poſſit, quaque proinde actu ſecundo poſita ponatur catarrhi effectus, remota idem removeatur. Et hanc quidem eſſe dico Morbum illum, à quo catarrhus tanquam Symtoma dependet, ſcil. cavitatum ac meatuum aliorum nonnullorum præter naturam anguſtatorum, per cavitates ac meatus intelligens non ſolum vaſa & vias patentiores, ſed & minutiſſimos quosque porulos, etiamſi ſenſui haud obvii rationis tantum beneficio in partibus adeſſe cognoſcantur. Etenim ſimul ac aliqui eorum præter naturam anguſtati ſanguinem transmittere nequeunt, hincque reliqui meatus omni ei, quem arteriæ adducunt, abſorbendo haud ſufficiunt, ſtatim ille ab ulterius affluente in omnia latera cogitur, adeoque ſeroſa ejus pars non levi cum impetu in ſecundi & tertii generis porulos non obſtructos intruditur, ſicque deinde eos diſtendens, dilatans & amplians diverticulum ac commodum collectionis ſtagnationisque locum nanciſcitur. Quod autem rubicundæ fluidi hujus catholici particulæ, licet eundem ſuſtineant impetum, haud tamen minuſcula hæc diverticula ſubire poſſint, id ſoli procul dubio mechanicæ earum conformationi debetur, cum ob magnitudinem ac globoſitatem ſuam porulis iſtis minus reſpondeant, ſicque ad fibras quidem partium affectarum appellantur & adigantur, non autem in inſculptos iis aut à concurſu earum efformatos porulos hoſce poſſint intrudi. Atque hic opportune

tunc nunc mihi venit in mentem velut αἲξ εἰς τὴν ἑορτὴν aut axungia ad rotam (ut habet proverbium) experimentum, quod illuſtre illud Angliæ ſidus, *Thom. Willis* cum alibi tum breviter in *Pharmac. Ration. Part. II. Sect. II. cap. III. p.* 155. ſeqq. conceptum verbis exhibet: *Si in vivo animali venis jugularibus filo exceptis & ligatis ſanguinis reductio inhibetur, tota capitis regio aqua intercute & plane hydropica brevi intumeſcet.* Nec minorem ſententiæ meæ lucem affundunt ea, quæ *CL. Lowerus in Tract. de Corde cap. II. p. 124.* enarrat, *Haud pridem*, inquiens, *venas jugulares ſubducto iis filo in cane arcte ligaveram, & poſt aliquot horas partes omnes ſupra ligaturam mire intumeſcebant, & intra duos dies canis quaſi angina ſuffocatus interiit: Toto hoc tempore non ſolum lacrymæ copioſius fluebant, ſed & plurima ſaliva ex ore profluxit, non aliter, quam ſi mercurio aſſumto fluxus ille concitaretur; poſt obitum cutem ejus à partibus tumefactis ſeparavi atque exſpectavi, ut partes tumefactæ ſanguine extravaſato turgerent; ſed aliter omnino evenit, ſiquidem nullum veſtigium aut colorem fere ſanguinis obſervare potui, ſed muſculi omnes & glandulæ ſero limpido maxime diſtentæ & admodum pellucidæ apparebant.* Nihil certe poteſt excogitari elegantius; nulla confirmandæ ſententiæ meæ præclariora inſervire experimenta, utpote cujus veritas nunc electro, ut ajunt, aut ſidonio vitro pellucidior apparet. Cum enim in martyre Anatomico, cane, inquam, iſto & epiphora, & ptyaliſmus, & angina notha, & hydrocephalus enaſcantur, ipſaque muſculorum ac glandularum capitis ſubſtantia, collecto in vaſis ſanguine, à ſero limpido diſtendantur, dum̄odo per artificioſam ligaturam venarum jugularium trunci anguſtentur; Hypſæa certe cæcior ſit neceſſe eſt, qui ſimilem ſeri à ſanguine ſequeſtrationem inque partibus quibusdam collectionem ac ſtagnationem neceſſario ſubſequi non intelligat, ſimul ac in ſtatu præter naturam quocunque demum modo pororum quorundam ac meatuum anguſtatio inducatur. At duo nihilo adhuc minus Lectori B. forſitan reſtabunt ſcrupuli, qui ut ei eximantur nunc allaborandum mihi eſſe video: unus quidem, an poſita pororum anguſtatione ſemper ponatur catarrhus, cum in hydrope ac inflammationibus eandem obtinere probabile ſit; alter vero, an hac ſublata anguſtatione ſemper quoque catarrhus removeatur, cum etiamſi v. g. in Rheumatiſmo ea omnino tollatur, non tamen ſimul ſerum, quod copioſius poruli nonnulli imbiberant, neceſſario ab aliis abſorberi videatur. Quamvis autem non nullius momenti dubia hæcce eſſe facile largiar, priori tamen jam ſupra ſatis obviam

me iviſſe arbitror, quando hic nonnullorum ſolummodo meatuum morbum adeſſe indicavi, cum in hydrope longe plurium anguſtationem occurrere neceſſe ſit, impedientem, quo minus major ſeri adducti pars refluere poſſit; ſicut in inflammationibus quibusdam adeo multi anguſtati cenſendi ſunt poruli ac meatus, ut ne purpurea quidem ſanguinis pars reliquos tranſire poſſit, quæ tamen omnis in catarrho, aliqua tantum ſeri parte relicta, è partibus refluere obſervatur. Nec minus promte illæ, quas ſecundum dubium ſententiæ meæ offundere videbatur, evaneſcent nebulæ, dummoda perpetua fibræ tenſione ſeque contrahendi niſu gaudere, h. e. ſpiritus animales naturaliter ita ſemper influere notentur, ut debita fibrarum, niſi aliæ eam impediant cauſæ, abbreviatio ac in ſtatum naturalem reſtitutio fieri poſſit, cujus beneficio collectum in porulis ſuis ſerum ſimul ac illud, ceſſante aliorum pororum obſtructione, loco cedere poſſit, neceſſario exprimant, niſi forte ejusmodi anguſtatio, una ejus ceſſante cauſſa, ab alia rurſus foveatur, e. g. ſi à particulis craſſioribus primitus quidem inducta ſit, attamen deinde, iis remotis, à nimia ſeri hac occaſione collecti copia ſervetur, aut ſi aliqua ejus, quod quantitate nimia antea peccabat, ſeri pars longiore obſtetricante mora craſſius ac viſcoſius reddatur. Plures enim anguſtationis hic peccantis modos eſſe obſervo: varias ipſi favere cauſas deprehendo, quæ, ſi ἀκριβείᾳ uti velimus, morbi, à quo catarrhus tanquam Symtoma dependet, meatuum anguſtatorum Cauſæ Proximæ dici poſſunt, ſicut &, quas deinceps tradam, Antecedentes & Procatarcticæ re vera hujus morbi cauſæ exiſtunt, quanquam in ſymtomatum ejusmodi tractatione Doctores eas horum ipſorum cauſas ſalutent, non quidem quaſi immediate, ſed quod mediantibus ipſis morbis, qui tamen plerumque obſcuriores eſſe ſolent, ad ſymtomatum horum generationem concurrant. Fit autem auguſtatio hæc cavitatum & meatuum (1) per modum *ſubſidentiæ*, quando membranæ vaſorum aut fibræ nonnullæ ob caloris ſpirituumque defectum debiles ac relaxatæ, id eſt, à tenſione naturali remittentes ſive plenitudine debita deſtitutæ, uno verbo, tonum (quem vocant) naturalem minus ſervantes ſubſident, ſicque cavitatem, quæ inter eas & oppoſitas alias relicta erat, explent. (2) Per modum *conſtrictionis*, quando à ſpasmodica (qualis ſæpius ab acrimonia humorum inducitur) fibrarum contractione, cauſave adſtringente, exſiccante, condenſante ſimilive fibræ & membranæ ſive continuo ſive per intervalla, attamen

men æqualiter ferme conſtringuntur, ſicque pori & meatus coarctantur. (3) Per modum *coalitus*, quando fibrarum ac vaſorum latera, partem cavam alias ſuſtinentia, in medio connaſcuntur atque coaleſcunt, ut ita cavitas intermedia antea præſens tollatur. (4) Per modum *compreſſionis*, quando à cauſa ſive interna ſive externa incumbente, à latere premente, vel ordinem fibrarum turbante membrana una vel fibra verſus aliam cogitur, ſicque, quod relictum inter eas erat, ſpatium evaneſcit. (5) Per modum *obſtructionis*, quando meatus à nimia humorum vel copia ac abundantia, vel tenuitate & raritate, vel craſſitie ac lentore in medio obſtruuntur, ut alii humori illico tranſitum concedere nequeant. (6) Per modum *obturationis*, quando easdem ob cauſas principium meatuum ipſique minuti poruli occluduntur, ut alium humorem minus promte poſſint admittere. Quæ equidem omnia cum mechanice certa ac infallibilia, tum clara ſatis ac perſpicua eſſe arbitror, niſi quod in obſcuro adhuc poſitum videri poſſit, qua ratione à nimia humorum tenuitate obſtructio ac obturatio inducatur. Quam quidem inde proficiſci ſtatuo, quod humor tenuitate peccans magis rarefactus ac diſtractus ſit, adeoque majus neceſſario ſemper occupet ſpatium, quam ſi paululum (ſit venia verbo) concentratior exiſtat, ſicque eodem prorſus modo obſtructionem obturationemque pariat, quo eædem à nimia ſeri copia oriri ſolent, id eſt, dum meatus ac pori ita adimplentur, ut non omnis humor affluens transmitti poſſit, ſed aliqua ejus pars moram quandam nectere ac pauliſper ibidem ſubſiſtere cogatur. Conſulto autem hîc loquor non de ſero, ſed de humore in genere, cum, ſicut in omnibus poris ac vaſis, ita à quacunque ſanguinis parte ejusmodi fieri poſſit obſtructio & obturatio, quam neceſſario ſolius ſeri in aliis porulis ſtagnatio ſubſequatur, illis ſcil. qui tali gaudent magnitudine ac figura mechanica, ut particulis ſanguineis admittendis minus apti exiſtant. Sed nec illud ſicco hîc pede præterire fas eſt, quod poris ac meatibus obſtructio vel totalis induci queat vel partialis: illa quidem, quando corpus obſtruens ejusdem eſt figuræ cum obſtructis cavitatibus, v. g. ſi porus ſit rotundus & particula obſtruens quoque ſit rotunda, nec minori, quam qua porus ipſe, gaudeat magnitudine; hæc vero, quando obſtruens minori mole aut alia præditum eſt figura, quum quo porus ipſe donatus eſt, ut cum pori rotundi à corporibus triangularibus aliisque anguloſis obſtruuntur, à quibus non ita poſſunt oppleri, quin aliquæ eorum reliquiæ adhuc

remaneant. Simili quoque ratione ſeſe res habet in aliis ſuperius recenſitis Anguſtationis ſpeciebus, licet terminus ille de partiali obſtructione, conſtrictione &c. tantum loqui videatur. Quibus omnibus extra dubitationis aleam poſitis ulterius nunc ad

ANTECEDENTEM Cauſam, à nonnullis mediatam propinquam dictam, gradum promoveo, quæ in corpore deliteſcens à Cauſis Procatarcticis excitatur aut commovetur, ut, ubi ad partem affectam pervenerit, proximam demum Catarrhi Cauſam conſtituat. Ex præcedentibus autem nullo negotio colligi poterit, humores nimia vel *acredine*, vel *tenuitate*, vel *lentore*, vel *copia* in corpore peccantes, eorumque reſpectu, quæ in illis fundantur, variæ Temperamenti ac Intemperiei ſpecies Cauſas Catarrhi Antecedentes exiſtere, ſiquidem, ſimul ac illi ad partem affectam deferuntur, ſtatim Cauſarum proximarum naturam induentes meatum anguſtatorum morbum ac per conſequens etiam catarrhum inducunt. Quibus nunc ulterius (quanquam accurate loquendo hæc tantum ſunt accidentia, conditionem ac temperamentum ſubjecti ſignificantia) ex recepto hactenus loquendi uſu adjungenda ſunt ætas ſenilis, utpote in qua non ita celeriter ac in ætate conſiſtente ſanguis per corporis partes movetur, ob motus autem tarditatem ſpiritualſcentia ejus calorque imminuitur, hincque multa ſeri ejusque craſſioris copia in corpore colligitur: infantilis ac puerilis ob eandem cauſam, quæ ob ἀδδηφαγίαν nimiamque ciborum aſſumtionem, huic ætati familiarem, magis magisque augeri conſuevit: ſexus muliebris, ſiquidem utplurimum virili frigidior ac humidior pronunciatur, adeoque abundantiæ ac lentori ſeri, ob motum quæque inde dependet ſpiritualſcentiam ſanguinis ac calorem minorem favere plerumque cenſetur. Sed ad

PROCATARCTICARUM ſive mediatarum remotarum Cauſarum ſcrutinium nunc accedo, quæ cauſam catarrhi proximam in actum ponere anguſtationemque pororum ac meatuum inducere valent, ſive mediante cauſa antecedente, eam prius excitando atque commovendo, id præſtent, ſive absque ejus concurſu partes certas afficiendo malum hocce inducant. Sed quanta, bone Deus! earum eſt copia! quanta multitudo! Non tot verno tempore pratorum delicias delibant fuci, nec arborum honorem ſcarabæi depaſcuntur, quot hic fragili miſerorum mortalium valetudini cauſæ externæ inſidiantur. Certe loquacem, (ut cum Poëta loquar) delas-

ſare Fabium valerent, ſi ſingulæ ei vel ſolum eſſent commemorandæ. Quid? ſi vix numero eædem comprehendi poſſint?

Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere quam multæ Zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Quare ſumma tantum earum capita perſequi animus eſt, attamen ita perſequi, ut de ſingulis deinde facile poſſit eſſe judicium, qua ratione ad generationem Catarrhi concurrant, dummodo ſemper ad ea, quæ de Proxima & Antecedente Cauſa dicta ſunt, diligenter referantur. Sunt autem inter Cauſas Procatarcticas aliæ Non-naturales vulgo dictæ, quæ ad ſanitatem & morbum producendum pro diverſo uſu ſunt efficaces; aliæ Præternaturales, quæ ſanitati noſtræ ex ſe & ſua natura adverſantur. Illarum agmen ducit *Aër* calidior, ſive natura ſive arte talis, qui quidem antecedentem cauſam excitat atque commovet, partim dum humores in corpore præſentes nimium fundit, colliquat, ſicque *tenuitatem* iis nimiam inducit; quod quidem motum ſolummodo eorum adaugendo atque accelerando præſtare mihi videtur, cujus beneficio particulæ minimæ non ſolum magis rarefiunt & paululum ſegregantur, ſed & ad ſe invicem frequentius alliduntur, atteruntur, imminuuntur: partim vero, dum, particulis chyloſis balſamicis colliquatis, ſæpius ⊖inæ iis commixtæ in fluorem evehuntur, ſicque ſerum *acrimoniam* præternaturalem acquirit. Interdum autem certam tantummodo aliquam partem afficit, (unde tam ſubito tamque notabiliter tota maſſa ſanguinea alterari nequit) ſicque ſtatim Cauſam proximam in actum deducit, dum vel ejus culpa magna ſpirituum in parte iſta fit deperditio adeoque fibræ ac membranæ à tenſione remittentes *ſubſident*; vel humores influentes funduntur & acriores redduntur ſicque excitata contractione ſpasmodica fibræ *conſtringuntur*; vel ob eandem fuſionem humores tenuiores facti meatus ac poros *obſtruunt* & *obturant*. Aër contra frigidior cauſam antecedentem ſuſcitat, partim dum, vel ambiens vel ore naribusque hauſtus, humores, motum eorum tardando ac imminuendo, denſat, incraſſat, minusque fluidos reddit, ſicque *lentorem* iis conciliat; partim corporis, quas ambit, partes coarctat & conſtringit, ſicque, humores ex earum ſubſtantia in vaſa ſanguifera cogens, ſano ſenſu eorum *copiam* prolicit; partim dum poros cutaneos cohibendo ac conſtringendo transſpirationem in-

ſenſibilem impedit ſicque re vera humorum *copiam* producit. Præterea aër frigidus in ipſa, ad quam admittitur, corporis parte absque cauſæ antecedentis concurſu operatur, quando vel fibras ac vaſorum membranas conſtipat, coarctat, condenſat, quin & rigidiuſculis ſuis ſpiculis ad contractionem irritat ſicque *conſtringit*: vel ob impeditam ſubito transſpirationem copiam inibi ſeri adauget, ſicque *obſtructionem* vel *obturationem* parit: vel denique humores jam præſentes condenſando atque incraſſando eorundem malorum auctor exiſtit. Aër ſiccus ad Catarrhi generationem ſolummodo concurrit, quatenus cum calore vel frigore ſimul conjunctus eſt; niſi forte hac ratione ſymbolum ſuum morbificum conferat, quod fibræ ejus culpa exſiccatæ *conſtringantur*. Humidus autem, qualis eſt auſtralis, nebuloſus, pluvioſus, aut effluviis linteaminum madidorum aliisque ſaturatus, maxime ſi calidus ſimul fuerit, fibras partium externarum vaſorumque membranas humectat, ut relaxatæ *ſubſideant*; nec, ſi quis eum ore hauſtum humiditates in corpore nonnihil adaugere ſtatuat, litem ipſi propterea movebo. Maximum autem hiſce aëris in corpus noſtrum agendi viribus additur pondus, ſi ſubitæ ejus diverſimode conſtituti fiant permutationes, quando v. g. auſtrina calida & humida conſtitutio in aquilonian trigidam & ſiccam convertitur, vel quando aliquis in balneo, lecto, alioque loco calido diutius moratus aut ob exercitium corporis prægreſſum calefactus aëri frigido ſe exponit, veſtimenta ac capillos fictitios mutat vel omnino abjicit &c. quia tum fibræ ac vaſa antea laxata notabiliter derepente conſtringuntnr, tum ſerum tenue in ipſis, per quas fertur, partibus inſpiſſatur, illico obſtructionem obturationemque parere aptum, tum denique pori ſubcutanei ſtatim conſtringuntur ſicque, transſpiratione inſenſibili impedita, multæ humiditates, quæ jamjam excerni debebant, in corpore retinentur. Cui quidem ultimo loco adductæ rationi plerique illi debentur Catarrhi, qui ſub hiemis initium miſeros mortales infeſtare ſolent, at hiemali deinde tempore remittere obſervantur, quando ſcil. major ſeri copia per vias urinarias excernitur alvusve magis lubrica quam æſtivo tempore exiſtit, certiſſimo indicio, humiditates illas, quæ alias per poros cutis excluduntur, tum temporis in glandulis renum ac inteſtinalibus ſecretas per alias amandari vias, cum ſub initium hiemis, antequam harum glandularum pori à continuo affluxu amplientur ſicque omne illud ſecernere poſſint, in corpore retentæ cauſam catarrhorum

ante-

antecedentem foveant atque conſtituant. Aër præterea fumo vel vapore ſive vulgari ſive medicamentoſo imbutus, variisque effluviis tum bene olentibus tum fœtentibus impprægnatus non ſolum ſiccitate & humiditate, ſed & pro particularum, quas vehit, peregrinarum acrimonia, ſubtilitate ac lentore diverſimode peccat atque humores corporis alterando *acrimoniam*, fundendo ac agitando *tenuitatem*, incraſſando ab inſpiſſando *lentorem* iis poteſt conciliare. Inſuper etiam ſi in humores certæ alicujus partis, v. g. narium, agat, ob inductam illis tenuitatem aut lentorem poros ac meatus *obſtruit* atque *obturat*, aut ob communicatam acredinem indeque ortam ſpaſmodicam fibrarum contractionem eosdem *conſtringit*, uti etiam accidit, quando externe fibris obvius acrimonia ſua ipſis moleſtus exiſtit. Denique etiam aër pulverulentus nonnullorum Catarrhorum cauſa eſſe deprehenditur, in illis ſcil. partibus occurrentium, quas ob particularum illarum, quibus ſcatet, minutarum variam figuram (quando nimirum illæ cuſpidatæ, angulares &c. exiſtunt) diverſimode pungit atque lancinat, ſicque ſpaſmodicam contractionem inducendo *conſtringit*. Hæc de variis aëris vitiis monuiſſe ſufficiat. Nunc qua ratione *Cibus & Potus* catarrhorum Cauſæ Procatarcticæ exiſtant, non tam prolixa indiget explicatione, cum contactu ſuo eadem ratione partes earumque humores afficiant, qua medicamenta incongrue adhibita nocere pag. 37. fin. docebitur; quomodo autem Cauſam Antecedentem excitare poſſint, lippis & tonſoribus notum eſſe exiſtimem. Quod ſi enim copioſius aſſumantur, quam vel nutritionis vel conſervationis corporis noſtri neceſſitas exigit, vel à lympha ventriculi (concurrente ſimul motu ejus ac calore ab adjacentibus viſceribus adaugendo) ſubigi ac digeri poſſunt, humorum *copiam* ac *lentorem* producunt: ſi humiditate nimia peccaverint, uti fructus crudi, vitioſi ſucci, lacticinia &c. rurſus eorum *copiam* ſubminiſtrant: ſi nimis lenta, craſſa, viſcoſa exſtiterint, humores quoque *lenti* generantur: ſi calida nimis non quidem actu ſed potentia fuerint, e. g. cibi aromatici aut vinum generoſum adeoque particularum ſuarum tenuitate ac motu peccaverint, humores nimis agitantur, atteruntur, ac *tenuiores* & nonnihil *acres* redduntur: ſi acrimonia indebita præditi exſtiterint: v. g. cibi aromatici acres, ⊖ ſi, muriatici, humores quoque eorundem *acrimoniam* æmulantur: ſi acidiores capiantur, particulæ chyloſæ ſeri coagulari ac ⊖ ina ſpicula magis explicari ſicque humores tum *acrimonia* tum *lentore* peccare judico; ſin denique

 ſaccha-

ſaccharata nimium in uſum trahantur, ⊖inis eorum particulis à 🜍earum compedibus liberatis ac in fluorem evectis humores cum *acriores* tum nimis *lenti* redduntur. Quod ad *Motum* præterea corporis attinet, ille ſi immoderatior fuerit, motum ſanguinis accelerando humoresque agitando efficit, ut moleculæ eorum minutæ frequentius ac vehementius, quam par eſt, in ſe invicem impingant, de ſubſtantia ſua aliquid deradant ſeque mutuo atterant atque *attenuent;* quam tenuitatem utplurimum etiam comitatur *acrimonia*, cum particulæ chyloſæ balſamicæ nimis imminutæ ſpicula ⊖ina, quæ easdem ob cauſas multum inſimul atteruntur atque magis magisque acuuntur, non ita obtundere, involvere, ac abſcondere poſſint; ſin importuno idem tempore, uti poſt aſſumta alimenta, inſtituitur, ventriculus ac inteſtina cibum prius è ſinu ſuo dimittere coguntur, quam chylificatio debito modo peragi poſſit, adeoque chylus craſſus, viſcoſus, *lentus* ſimilesque proinde etiam in corpore humores generantur. Nec minus *Quies* corporis catarrhi cauſa ſalutari meretur, quando vel nimia eſt, qualis apud Literatos aliosque vita ſedentaria utentes obtinet, dum pars corporis fluida ſegnius mota minus attenuatur, adeoque *lentori* nimio obnoxia redditur; vel importuna poſt aſſumtum cibum corpori datur, utpote quæ chylum longiorem in ventriculo inteſtinisque moram nectere ſicque diverſimode corruptum *acrimoniam* acquirere jubet. Quod tamen nullo modo ita intelligi velim, quaſi omnem tum temporis corpori conceſſam quietem damnem, cum potius aliquam ipſi omnino dandam eſſe arbitrer, adeoque ne ſomnum quidem, niſi longius juſto ipſi indulgeatur, noxium eſſe exiſtimem, ſiquidem ſpiritus animales, qui alias in loca alia amandarentur ibique conſumerentur, eo majori copia ad ventriculum affluentes lympham ejus actuant, ut eo facilius alimentorum poros ſubintrare, compagem eorum felicius diſſolvere chylumque inde magis ſpirituaſcentem poſſit prolicere. *Vigiliæ* inſuper ac *Somnus* cum immoderata tum importuna ſæpius ad generationem catarrhi concurrunt, ſed non alia, credo, ratione, quam quod ſomnum quies, vigiliasque utplurimum motus corporis comitetur, quin &, absque eo ſi foret, ipſe ſanguis celerius vigilantibus nobis, tardius autem ſomni tempore, pro diverſa ſpirituum activitate ac influxu, in corpore circuletur. Accedunt præterea *Excernenda retenta* ſcil. fæcum alvinarum, urinæ, ſudoris, ſanguinis hæmorrhoidalis ac in ſexu ſequiori debiti menſtrui, lochiorum &c. quo-

rum vim etiam æmulantur evacuationes conſuetæ intermiſſæ v. g. per venæ ſectionem aut ſcarificationem, quatenus ſingula retenta tum humorum *copiam* adaugent, tum ob diuturniorem moram *acrimoniam*, à putredine qualicunque dependentem, nonnunquam acquirunt. Sed & vitium *Retinendorum excretorum* hîc interdum concurcurrere Practici obſervarunt, quando ſcil. vel per VS. aut alio modo humores nimium evacuantur, non aliam procul dubio ob cauſam, quam quod ſpirituum magna fiat deperditio, atque motus ſanguinis (tum eandem ob cauſam, tum forte quod arteriæ tam arcte ſeſe conſtringere nequeant, ut humores, minus ſpatium tunc occupantes, ſatis potenter protrudere poſſint) indeque dependens calor imminuatur, ſicq; fibræ ob ſpirituum caloriſque defectum *ſubſidere* cogantur, ipſisque humoribus viſcoſitas ac *lentor* nimius inducatur. Quando autem immoderatum Veneris uſum Catarrhus ſubſequitur, præcipue *acrimonia* ac *tenuitate* humores peccare videntur, cum particulæ chyloſæ balſamicæ ſemen maſculinum, quemque in coitu glandulæ uteri ac cervicis ejus emittunt, humorem magna ex parte conſtituentes abſumantur ſicque reliquum in corpore ſerum non ſolum tenuius ſed & acrius reddatur, particulis ⊖inis ab illarum conſortio, involucro ac compedibus liberatis, ne nunc dicam, quod ſpeciatim in partibus genitalibus ob copioſiorem eumque frequentiorem humorum affluxum glandularum fibræ nimium humectatæ ſubſideant, aut à copia eorundem, utpote quæ hac occaſione adaugetur atque cumulatur, meatus ac poruli obſtruantur aut obturentur. Sequuntur nunc quoque *Animi pathemata*, quæ quidem vix alio mihi operari modo videntur, quam quod motum ſanguinis pro vario ſpirituum animalium influxu vel accelerent, uti quidem ira, gaudium repentinum; (quo etiam curæ graviores intenſæque cogitationes ac ſeveriora ſtudia referenda erunt) vel retardent, ut terror, timor, triſtitia, adeoque pro motus hujus diverſitate humores modo *tenuiores* ac *acriores*, modo nimis *lenti* ea, quam antea expoſui, ratione reddantur. Accedunt inſuper *Medicamenta*, (nam & hæc rebus non-naturalibus jure merito annumerantur) utpote quæ incommode in uſum vocata particulis ſuis ſubtilibus ac volatilibus humores in corpore nimis *tenues*, ⊖ſis, ⊖inis acribus, necnon ⊖inis volatilibus acribus *acres*, 🜂eisque vaporoſis, 🜄eis, glutinoſis, incraſſantibus ac variis aliis figentibus motumque eorum retardantibus *lentos* efficere poſſe nemo ibit inficias.

 Præ-

Præterea, ſi certis tantummodo partibus adhibeantur, præſentes ibi humores eodem modo afficiendo, vel *conſtrictionem* ab acrimonia, vel *obſtructionem* ac *obturationem* à tenuitate vel lentore eorum dependentem inducere valent: quin & contactu ſuo fibras humectantia, ſpiritus figentia aut conſumentia, caloremque frigiditate ſua exſtinguentia fibras ac membranas *ſubſidere* faciunt, nec non calore potentiali exſiccando, acrimonia ad contractionem ſpasmodicam irritando, vel vi ſtyptica adſtringendo easdem nonnunquam *conſtringunt*, ne quid de actuali eorum calore ac frigore dicam, quibus eadem ratione, qua aër ſimilis, in corpus noſtrum operantur. Agmen denique claudunt *Operationes Chirurgicæ*, ubi tum compreſſiones ac ligaturæ partium easdem *comprimendo* ac *conſtringendo* peccant, tum linteaminum ſimiliumque nimis calidorum ac frigidorum admotiones aëris eodem modo conſtituti vim æmulantur, tum etiam frictiones immodicæ ac nimis aſperæ ſymbolum ſuum morbificum conferunt, maxime quod partium pori ſæpius per vices *comprimantur* adeoque humorum in motu ſuo notabiliter impeditorum copia adaugeatur, obſtructionem ac obturationem deinceps inductura.

Succedit nunc altera Cauſarum Procatarcticarum cohors, quam Res Præter-naturales conſtituunt, ubi quidem maxime eminent tumores, vulnera, ulcera, contuſiones & rupturæ variæ, quatenus non ſolum horum occaſione fibræ ac vaſa ſæpius *coaleſcunt*, ſed & ſemper ordo eorum naturalis turbatur, ac membranæ vaſorum aut fibræ quædam verſus alias coguntur atque *comprimuntur*. Accedunt hiſce aliarum partium quocunque tandem modo factæ anguſtationes, ſiquidem, quando eæ alicui affluentis ſanguinis parti tranſitum denegant ſimulque vel robuſtiores ſunt, quam ut impetus ejus porulos illarum ampliare poſſit, vel omni ei, quando ſcil. gravior adeſt anguſtatio, diverticulum concedere nequeunt adeoque tendentes illuc arteriæ non omnem, quem debebant, ſanguinem recipiunt, ille neceſſario proximos arteriarum canales ſubintrat, adeoque, copioſior ad vicinas partes delatus, novam ibidem anguſtationem per modum *obſtructionis* vel *obturationis* infert, ac, ſi debiliores partes hasce offenderit, exinde facilè oriundum catarrhum producit. An & præſens in parte affecta dolor hic aliquid præſtare poſſit, ſanguinem humoresque copioſius alliciendo, in medio relinquo, cum, qua mechanica id fiat, nondum ſatis habeam exploratum, ac potius cauſæ dolorem parientes, quando ſimul liberum ſanguinis refluxum impediunt,

diunt, accuſandæ eſſe videantur. Sequuntur inſuper varia plurimarum partium vitia, quoquo modo impedientia, quo minus bonus ac laudabilis in ventriculo ac inteſtinis chylus elaboretur; quando ſcil. vel ſaliva, ventriculi inteſtinorumque lympha, nec non ſuccus pancreaticus juſto minori copia, minusque ſpirituoſa aut viſciditate ac acrimonia quacunque deturpata alimentis aſſociantur, vel, quæ iis in inteſtino duodeno affunditur, attenuationi ac viſciditatis disſolutioni inſerviens bilis abundat, deficit, acriorve aut effœta nimis exiſtit, vel denique motus calorque ventriculi ac inteſtinorum impeditur ac ſufflaminatur; cum hac ratione vel *lentum* vel *tenuem* quin & *acrem* chylum produci neceſſe ſit, ſimilesque proinde in corpore humores generentur. Sed quid de cerebro nunc dicendum? annon aliquod ejus prægreſſum vitium cauſa Catarrhi procatarctica exiſtit? Quod ſi veterum Auctorum monumenta conſulamus, cuncta vapores plurimos, è ventriculo aſſurgentes, in cerebro colligi ibique in humorem reſolvi docebunt, cum tamen nullos illuc deferri poſſe ſatis evidenter magnus ille *Helmontius in Tract. Catarrhi Deliramenta* inſcripto *§. 19. ſeqq.* declaratum dederit, à quo paucula eaque ſelectiora tela in præſentiarum mutuare licebit. Scil. cum ventriculi gulæque interiores tunicæ ſemper actu madeant, gulæque latera ſeſe, niſi alimentis cedere cogantur, mutuo attingant, adeoque nullam cavitatem intermediam ſive meatum patulum relinquant; aſſurgentes certe vapores in gulam neceſſario ipſam impingent, ſicque à madore ejus reſoluti in oris usque cavitatem nullo modo adſcendent. Sed ponamus, nonnullos hucusque pertingere, certe plurimos per patentia oris nariumque foramina cum aëre, tanquam eorum vehiculo, difflari neceſſe erit; pauculi autem, qui forte membranæ palati adhæreſcunt, eam tamen ipſumque cranii os nulla ratione perreptare ſicque cerebrum ſubire poterunt, cum commodas ejusmodi vias, quales veteres ſomniarunt, nullas dari ſuperius ſit demonſtratum. Quamvis igitur Palladis hocce Mnemoſynesque delubrum eo nomine accuſari haud mereatur, quaſi adſcendentes è ventriculo vapores colligat ac reſolvat, qui per venas amandati & ad alias deinde partes delati Catarrhi materiam conſtituant; non auſim tamen illud cum recentiorum nonnullis omnis prorſus culpæ abſolvere, cum non ſolum vitii alicujus phœnomena quædam pag. 43. ſeqq. exponenda illud arguant, ſed nonnullæ inſuper rationes omnino criminis hujus illud convincere poſſe videantur. Quod ſi enim, ceu

ſæpius

ſæpius à me laudatus *Brunnerus in Exerc. de Glandulâ Pituitar. cap. III.* docet, lympha, ſub cujus involucro ſecernendi in corticali cerebri ſubſtantia ſpiritus illuc advehuntur, non omnis per venarum canales cum ſanguine refluit, ſed aliqua ejus pars, ut & ea, quæ nutritioni minus apta exiſtit, (poſtquam ſcil. ad intima cerebri pervenit venarumque ſuperavit & exceſſit oras, ubi remeare non datur) in ventriculos cerebri exſtillat ibique ordinarie ac naturaliter colligitur: nullum dubium eſſe poterit, quin hæc ipſa lympha nonnunquam longiorem ibi moram nectens lentorem acrimoniamve acquirere ſicque, ſanguini rurſus aſſociata cumque eo ad partem aliquam delata, acrimonia conſtrictionem ac lentore obſtructionem obturationemve poſſit inducere. Quanquam, ne quid diſſimulem, enarrata modo lymphæ hujus generatio admodum mihi ſuſpecta videtur, cum ne probabili quidem argumento ullo confirmetur, ſed gratis omnino ſumatur, dari tales in cerebri ſubſtantia porulos, è quibus adeo nullus effuſo humori aditus in venas concedatur, ut is potius longiorem exiliſſimorum pororum tractum perreptare cogatur, cum tamen, ſi non ipſa eidem venarum oſcula, alii ſaltem pori ab uno minimum latere illi neceſſario pateant, quorum beneficio deinde venis ipſis poſſit infundi. Neque accuratiſſimus alias *Williſius in Anatom. Cerebri cap. XII. p. 57.* rem acu tangit, quando ſerum, quod tanquam ♌-uum vehiculum in cerebri poros introducitur, poſtea exſolutum ac in vapores attenuatum in hanc cavernam exſudare ibidemque denuo in humorem aqueum concreſcere judicat, cum tanto, quantus ad hanc attenuationem requiritur, calore cerebrum non gaudeat, aut, ſi qui producerentur vapores, illi non promptius per interiores poros in cavernas iſtas, quam per exteriores verſus cerebri meninges exſudarent, ubi tamen nec collectionis locum nec evacuationis ulterioris viam invenirent. Quid? quod hiſce ſtantibus hypotheſibus ejusdem cum cerebro ſubſtantiæ cerebello ſpatiola ejusmodi, unde remeare ſero non detur, denegari haud posſent, ſimilisve laticis ſeroſi reſolutio ibidem contingere cenſenda eſſet, cum tamen in hac cerebri appendice ne lynceis quidem oculis ciſterna ulla inveſtigari queat, quæ colligendo huic liquori ullo modo poſſit inſervire. Nihilominus forte hîc aliquis regereret, frequentes Anatomicorum obſervationes teſtari, ventriculos cerebri in defunctorum cadaveribus lympha ejusmodi inundari. Atque id lubens ego interdum fieri conceſſerim, interim tamen cum alii quoque

que

que viri fide digniſſimi ſæpius nihil quicquam ejus in ventriculis illis ſcaturire teſtentur, ipſeque in brutorum ſectionibus aliquoties ne tantillum quidem conſpicere potuerim, quin & ipſi ſententiæ hujus Patroni eam in ſubjectis morboſis copioſiorem, in ſanis vero paucisſimam reperiri confiteantur; malim quidem ego viri celeberrimi, *Johann. Bohnii* ſententiæ ſubſcribere, qui omnem in cerebri ventriculis congeſtam lympham præternaturalem eſſe, & morbo aut mortis generi ſcaturiginem ſuam debere pronunciat. Legi merentur, quæ de ea diſſerit in *Circulo Anatomico-Phyſiolog. Progymn. XX. p. 323.* Cæteroquin tamen, quando lympha quædam præter naturam varias ob cauſas ibidem colligitur, nullum dubium eſſe poterit, quin hæc ea, quam jamjam expoſui, ratione generationi catarrho anſam præbere poſſit, ſicque iſtud, cujus culpa ea colligitur, cerebri vitium cauſa catarrhi procatarctica exiſtat. Quod ſi præterea conjecturis qualibuscunque meis pauliſper adhuc indulgere, animique mei ſenſa, meliora tamen monituro promte ſemper ceſſura, proferre liceat; dubito profecto, annon ipſæ illæ glandulæ nonnunquam accuſari mereantur, quæ in corticali ſeu cinerea cerebri ſubſtantia obviæ microſcopii beneficio facile conſpiciuntur, ſi illa prius aquæ vel, quod præſtat, oleo incoquatur, ac deinde affuſo atramento, mox autem goſſypio leviter rurſus deterſo, glandulis circumſcripta interſtitia denigrentur. Scil. iisdem hæ porulis gaudere mihi videntur, quibus alias, in reliquis corporis partibus occurrentes, præditas eſſe ſupra *pag. 14. ſeq.* oſtendi, niſi quod cum ſinguli multo exiliores, tum tertii generis poruli, ſeri ſequeſtrationi alias deſtinati, ita conformati ſint, ut ſolum ſubtiliſſimas ac tenuiſſimas ſanguinis particulas transmittere poſſint, quæ deinde tubulis minutiſſimis, in medullari cerebri ſubſtantia (hæc enim, ceu in cocto cerebro cernere licet, ex innumeris iisque quodammodo rotundis fibrillis conſtat, quæ non ita arcte ſibi incumbere poſſunt, quin aliquos intermedios relinquant ductus, ſi non ipſæ quoque tubulatæ ſint) præſentibus, intruſæ Spirituum animalium nomine inſigniuntur. Jam autem cum in aliis glandulis primi generis poruli venarumque canales tum ab acrimonia humorum ſæpe conſtringantur, tum à copia, tenuitate ac lentore eorundem obſtruantur ac obturentur; ecquid, quæſo, impediet, quo minus & harum glandularum poruli ac à ſinibus dimiſſi canaliculi idem nonnunquam experiantur fatum, adeoque humores diutius detenti lentorem acrimoniamve acquirant? quin &, ſi

 angu-

anguſtatio tantum partialis ſit, particulæ tenuiores ſolummodo transmittantur ac ob balſamicarum deſertionem acriores reddantur, chyloſis contra craſſioribus pauliſper interceptis magisque coactis, tandem tamen impulſu ſanguinis ac motu cerebri mediante ulterius protrudendis? Quæ ſi ita ſeſe habent, uti re vera habere videntur, nullum omnino dubium eſſe poteſt, quin, ſi anguſtatio talis pororum ac canaliculorum (qualis, quo exiliores illi ſunt, eo facilius ac frequentius accidere poteſt) gravior, id eſt, in pluribus porulis ac diuturnior obtingat, apoplexia, paralyſis, ac ſoporoſi eam affectus nonnunquam conſequantur; ſin vero levior adfuerit, ſerum certo reſpectu acrius, tenuius, ac viſcoſius redditum & deinceps maſſæ ſanguineæ rurſus aſſociatum & ad partes alias delatum variam ibi pororum anguſtationem, fœcundam catarrhorum matrem, poſſit producere. Simile quoque Pituitariæ, Pinealis, quæque in Plexibus choroideis occurrunt glandularum vitium procatarctica hujus mali cauſa exiſtet, cum eas, inſtar aliarum, humoris cujusdam lymphatici ſecretioni vacare recentiorum Auctorum plurimi ſufficienter demonſtraverint, adeoque nonnunquam in iis, uti in aliarum partium glandulis, anguſtationem contingere vero prorſus ſimile videatur. Quid? quod in ipſis cerebri ſinibus humores ob conjunctam viſcoſitatem, aut earum, per quas feruntur, viarum anguſtationem juſto diutius commorari, ſicque majorem lentorem aut acrimoniam quandam poſſint acquirere. Περὶ δὲ τούτων μὲν ἅλις σπουδῆς. Nunc enim ordinis pulſant fores.

SIGNA DIAGNOSTICA, è triplici potiſſimum Symtomatum fonte promanantia, quorum rationes cauſasque è methodo mihi recepta rationali inveſtigare allaborabo, ut, quid unumquodque eorum monſtret ac ſignificet, veluti ea, quæ oculis cernuntur, clare ac diſtincte cognoſcatur. In primis autem notatu dignum occurrit, quod in Catarrho ipſum plerumque caput ſimul affligatur, ac materia peccans ex eodem per cervicem naresque deſcendere videatur, deinceps modo hanc modo illam ac rurſus aliam corporis partem infeſtans, donec tandem firmam alicubi ſtabilemque ſedem nanciſcatur. Atque hoc illud eſt phœnomenon, quod omnibus commentis, quæ plenis hactenus in forum Medicum legionibus immigrarunt, feneſtram aperuit: hic nodus ille eſt, qui tot tantaque hactenus ingenia exercuit ac defatigavit, ipſo certe Gordio intricatior ac difficilior, cum non vi gladii Alexandrini dirimi queat, ſed

vir-

virtute Veritatis expediri debeat, quæ, uti ſæpius antea, ita denuo memorem mihi aurem vellicare, ac, ſicut omnibus aliis, ſerio inculcare mihi videtur, quod Achilli mater ejus apud *Homerum* olim dixit:

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω.

Quare cum monitis ejus minus obtemperare nefas ducam, ſingula, quæ huc ſpectant, ſymtomata ordine enarrabo, ac, quid de unoquoque viſum mihi fuerit, liberius exponam. Obſervantur autem ſequentia: I. Capitis dolor levior ac veluti gravativus, catarrhum frigidum ac craſſum frequentius præcedere ſolitus, utplurimum non quod peculiare quoddam cerebri vitium hîc concurrat, ſed quod ſerum copioſius aut craſſius, minus tamen acre, uti in aliis, ita etiam cerebri porulis vaſisque ſanguiferis contineatur, ſicque eadem diſtendens leviorem continui ſolutionem doloremque pariat, ac tenellis iſtis, attamen exiguo ſenſu præditis, quibus incumbit, partibus pondere ſuo moleſtum gravitatis ſenſum inferat, non ſecus ac tumor ſcirrhusque hepatis ac ingens, ſed quietus, renum calculus ſimilem ponderis ſenſum repræſentat. Quod autem ſolum potiſſimum cerebrum, non aliæ æque partes afficiantur, ad quas tamen ejusdem indolis ſanguis defertur, quin & in ipſo illo primo omnium catarrhi moleſtia obſervetur, id cum majori ſanguinis copiæ, quæ cerebro advecta minutisſimos ejus porulos ſubintrat, adſcribendum videtur, tum præcipue ſingulari fibrillarum illud conſtituentium teneritati ac mollitiei debetur, cum nulla in tota corporis noſtri machina pars alia occurrat, quæ hiſce nominibus cum cerebro poſſit componi. Nonnunquam tamen aliquod ipſius cerebri vitium hîc concurrere ſtatuo, quando ſcil. ceu *pag. 41.* monui, humor aliquis ventriculos cerebri præter naturam occupat, aut in quibusdam vaſis ac glandularum porulis ob prægreſſam aliorum anguſtationem nimis viſcidus aut copioſus colligitur atque ſubſiſtit, eadem prorſus, quam jamjam expoſui, ratione dolorem producens. II. Idem in catarrho calido vehementior ac intenſior, ſed nihilominus tamen adhuc obtuſus, quia particulæ ſeri acriores fibrillas cerebri ob diverſam, iis inimicam, incongruitatem varie pungunt, rodunt, mordent, lancinant, atque ita triſtem ſpiritibus animalibus ſenſationem neceſſario inducunt. Quando autem admodum acutus dolor occurrit, non tam ipſum cerebrum accuſari meretur, utpote quod exiguo ſenſu donatum eſt, adeo ut nonnihil de ipſa ejus ſubſtantia, absque ſingulari ægrotantis dolore, à chirurgis quibusdam urgente neceſſitate abla-

tum eſſe ſciam; quin membranæ potius ejus, dura & pia meninx nuncupatæ, ejusq; varii proceſſus laborant, quæ exactiſſimo ſenſu gaudere plurimasq; fibrillas nerveas recipere cum Practicorum tum Anatomicorum Obſervationes abunde teſtantur. III. Somnus profundior & longior oculorumq; hebetudo ac ſenſuum torpor, catarrhos frigidos concomitantia, ſiquidem vel ob pororum nonnullorum cerebri anguſtationem, aut particularum ſpirituoſarum in ſanguine defectum pauciores ſpirituum animalium copiæ in corticali cerebri ſubſtantia ſequeſtrantur; vel, quæ ibi ſegregantur, ob dyſcraſiam humorum ſeroſam ac pituitoſam minus tenues, ſubtiles, volatiles ac elaſticæ exiſtunt; vel denique ob nimiam humorum in nonnullis locis factam evacuationem magna quoq; earum quantitas ſimul deperditur, adeoque hiſce de cauſis ſolita ſpirituum animalium expanſio & activitas notabiliter imminuitur. IV. Vigiliæ nimiæ in catarrhis calidis occurrentes, quod particulæ plures acriores ♌itibus animalibus in ipſa eorum ſecretione aſſocientur, quæ, aculeis ſuis ac cuſpidibus variæ figuræ ac magnitudinis illis moleſtæ, in perpetua agitatione eos ſervant, nec ad æquabilem placidumque motum componi patiuntur. V. Regionis iſtius, quæ ſupercilia interjacet, interna obſtructio, in catarrho frigido ac craſſo admodum notabilis & moleſta, attamen ſolvi quodammodo ſolita, ſimul ac aliqua pituitæ eam inducentis pars per nares evacuatur, non quod ea, uti nonnulli ſibi imaginantur, in ipſo cerebro aut foraminibus oſſis ethmoidis occurrat, ſed quod in cavernulis ab oſſibus narium efformatis materia pituitoſa colligatur, in quas à glandulis membranam, oſſa iſta ſuccingentem, diſtinguentibus & quidem in ſuperiori naſi parte majoribus, quam in inferiori (vid. ſupra *pag. 7.*) exiſtentibus effunditur, at ex iisdem ob viſcoſitatem lentoremque ad inferiora narium promte nequit deſcendere. Hinc enim fieri obſervamus, ut ſi levior ejusmodi obſtructio in coryza inducatur, ſtatim minus ſonora ac per nares obmurmurans vox edatur; ſin gravior eadem ſit, reſpiratio difficilis evadat, ac utplurimum ore hiante anima reciprocetur, certiſſimo indicio, interiora narium antra, quæ patulam alias in pulmones tendenti aut inde rurſus emiſſo aëri tranſitum concedunt, à pituita iſta obſideri. VI. Deſcenſus materiæ catarrhoſæ per cervicem, quem ab eodem inibi nonnunquam inductus ardor moleſtus horrorve frigidus teſtari videtur, es iſt / als wann da heiß oder kalt Waſſer hinunter lieff / oder ſich hinunter zöge /

daß

daß man offt ein wenig darüber erſchüttert/ quod lympha vel è capite per venas refluens ſenſum talem ipſiſmet venis imprimat, vel in muſculo poſticæ colli viciniſque partibus obducto, quem ϖλάτυσμα μυῶδες Galenus appellat, colligatur perque patulos ejus porulos, uti aqua chartã bibulam perreptat, deſcendens de loco in locum transferatur. Ardoris autem iſte ſenſus à lympha vel particulis ⊖inis volat. bilioſis acrioribus ſaturata inducitur, vel ab acida ſubtili acri ac fere volatili, quanquam forte 🜍earum aliquarum particularum conſortio non omnino deſtituta, excitatur, partes, quas attingit, non ſecus affligente, ac ſi aliquantum ſpiritus ⦶i rectificati illuc effundatur, quamvis nonnunquam forte effervefcentia inter duo iſta pugilica naturæ inſtrumenta, acidum & alcali, enata accuſanda eſſe videatur. Frigus contra aliquod, comitante ob contractionem fibrarum ſpasmodicam horrore, perſentitur, quando vel quædam ſeri portio ob longiorem in capite moram motusque, à quo omnis noſter actualis dependet calor, defectum actualem quandam frigiditatem acquiſivit, ſicque reliquis humoribus actu frigidior nec calore potentiali prædita venis, per quas delabitur, ſimilem ſenſationem imprimit; vel in muſculum platysma myodes collecta ob motus tarditatem, quin & aëris externi injuriam ſimilem frigiditatem præ ſe fert; vel denique acida pure talis ſeu minus acris (quali acido muſcæ gaudere videntur, quarum contactus præ aliis ejusmodi inſectis frigidus obſervatur) exiſtens utramque partem ſingulariter alterat, ac quaſi leviorem quendam ſtuporem, frigoris ſpecie nobis imponentem, iisdem inducit. VII. Variarum partium vel ſimul vel ſucceſſive obtingens attamen brevior afflictio, quod in ſingulis illis aliqua ab arteriis advecti ſeri pars p. n. colligatur & ſtagnet, ſed cum fibræ robuſtiores exiſtant, neque adeo magna ejus copia adhuc coacervata ſit, ab iisdem (præſertim ſi in principio mali blande fricetur pars affecta, calore moderato foveatur, aut fomentis, linimentis & emplaſtris aptis corroboretur, vel peccans ſeri viſcoſitas incidatur) rurſus expreſſa paulatim quidem, attamen brevi à venarum oſculis abſorbeatur, vel ſudatione largiori accedente per poros cutaneos diſſipetur atque evacuetur, non autem quaſi matera peccans ex una parte vel per unam in alteram deſcendat, uti ſupra *pag. 28.* monui, cum etiam inferiores corporis partes nonnunquam prius afficiantur, ſubſequente demum ſuperiorum afflictione. Quando autem commodum diverticulum in parte quadam debiliori idem

nanciſcitur ſerum, dum ſc. fibræ impetui ejus, quo minus porulos ſubeat atque dilatet, reſiſtere nequeunt, nec ſemel admiſſum rurſus exprimere ſeque in priſtinum vindicare ſtatum poſſunt; ſæpius deinde aliarum partium afflictiones ceſſare ſolent, cum notabilis ſeri quantitas partem affectam obſidens aut (ut plerumque fieri ſolet) per eam jam tum evacuata ſanguini detrahatur, qui proinde in alias partes tantam vim exſerere nequit, cum in parte affecta catarrhus nihilominus perſeveret, quod cum à majori humorum collectorum copia fibræ nimium humectatæ atque relaxatæ ſubſideant, tum à dilatatis atque ampliatis quibusdam ſecundi & tertii generis porulis alii primi generis viciſſim comprimantur. Atque ita expoſitis omnium, phænomenon *pag. 43.* expoſitum ſuggerentium, ſymtomatum cauſis alia quoque eadem nunc ratione veniunt declaranda. Occurrit autem VIII. Tumor partium affectarum, quia, quod colligitur, ſerum porulos earum ampliat, ac ſimul fibras diſtendit, ſicque ipſam quoque ſuperficiem neceſſario attollit, quanquam interdum & ſæpius quidem in Rheumatiſmo adeo tenue exiſtit, ut partes morboſas in tumorem notabilem nequeat elevare. IX. Motus impotentia, quando ab eodem ſero, porulos earum occupante, fibræ ita elongantur, ut ſeſe amplius perfecte contrahere, adeoque, quantum pro motu perficiendo requiritur, nequeant abbreviari. X. Dolor partium afflictarum, quod ſerum vel acrius, dolorem acutiſſimum pariens, fibras mordendo, pungendo, lancinando, vel copioſius easdem nimium diſtendendo ſolutionem continui inferat, quam triſtis neceſſario comitatur ſenſatio, ſub noctem utplurimum ingraveſcens, tum quod à Ωibus animalibus eo tempore (utpote quo nullis vel pauciſſimis aliis rebus intenti à muniis actionibusque ſuis ceſſant) ejus quam cauſa dolorifica edit actionis, quemque imprimere ſolet motus receptio & in cerebro ſubſequens perceptio promtius ac diſtinctius perficiatur; tum quod lecti noctisq; adventantis frigus vel exteriores partes conſtringendo humores magis verſus affectas cogat, vel harum ipſarum porulos coarctando ſerumq; coagulando ac denſando motum ejusdem retardet, vel denique in ſuperficie earundem totiusque corporis patulos alias poros intercludendo ſicque inſenſibilem transſpirationem impediendo humorum copiam uti in toto corpore ita etiam parte dolente adaugeat. XI. Excretio & evacuatio ſeri collecti per vaſcula aut porulos certos in partibus glanduloſis obveniens, quia fibræ

ſeſe

ſeſe contrahentes eos, quos illud obſidet, porulos comprimunt atque coarctant, quandocunque vel ab acrimonia ejus irritantur, vel á nimia copia ita diſtenduntur, ut ſolutionem quandam continui, licet leviſſimam, patiantur, ſicque ſpiritus animales triſti iſta ſenſatione excitati omnem quaſi moveant lapidem, ac majori cum impetu influentes aut ſeſe expandentes fibras tumidas reddant atque abbrevient. XII. Tumoris in partibus illis, ubi nulla ejusmodi fieri poteſt excretio, v. g. genis, ſenſim & ſine ſenſu obtingens decreſcentia ac imminutio, quod obſtructione iſta, á qua catarrhus originem duxit, jam ſublata collectum ſerum fibris ſeſe contrahentibus pauliſper cedere poſſit, ac tantillum ejus una cum affluente ſanguine venarum ſemper canaliculis intrudatur, donec tandem ſucceſſu temporis omne ab iisdem paulatim abſorbeatur, ſicque, quem produxit, tumòr omnino diſpereat atque evaneſcat. Multum quoque hic confert transſpiratio inſenſibilis ac ſudatio largior, præſertim in locis membranoſis, ubi rariores ac minutiſſimæ venulæ adſunt, ſiquidem ingens nonnunquam dolor Rheumaticus ſudore copioſiori aliquoties promanante tolli obſervatur, licet medicamentis plurimis iisque potentiſſimis per integros annos expugnari haud potuerit. XIII. Partium, quas attingit ſerum, varia læſio, quando hocce particulis ſuis acutis, quamvis diverſæ figuræ, ſuperficiem incidendo eas exaſperat aut ipſam partium ſubſtantiam corrodendo ac quodammodo abſumendo exulcerat. XIV. Sternutatio frequentior, quod à lympha acriori vel copioſiori nimis diſtendente membrana narium irritetur, ac proinde per eam diſtributi nervuli ſpaſmodice corrugentur, convulſis ſtatim per conſenſum ſimili modo nervis muſculisque thoracis reſpirationi inſervientibus ipſoque diaphragmate, ut hac ratione poſt aliquam inchoatæ inſpirationis ſuſpenſionem aër è pulmonibus una cum occurrente novo per nares, nonnunquam & os, magna vi ac una vice expellatur, concurrente ſono plerumque magno ac vehementi totius corporis concuſſione. XV. Raucedo, quia ſonora vox exprimi nequit, cum membrana cartilagines, rimulam laryngis efformantes, arytænoides ſuccingens exaſperetur, aut inæqualis reddatur, dum à lympha acri ⊖ſa aut ⊖ino-acida plus minus tenui aut viſcoſa obſidetur. XVI. Tuſſis, quod ſerum cum ob acrimoniam (quæ graviſſime affligere ſolet) tum nimiam copiam fibras tracheæ pulmonumque irritet, ſicque earum nec non conſequenter muſculorum pectoris contractionem ſpa-

ſmodi-

ſmodicam excitet, quam vehemens ac ſonora aëris copioſioris prius admiſſi ex pulmonibus efflatio ac exploſio neceſſario comitatur. XVII. Reſpirationis difficultas in catarrho ſpeciatim dicto, ſcil. pectoris, obtingens (quamvis & in angina ac tonſillarum tumore ob anguſtatam atque coarctatam regiam aëris in pulmones viam nonnunquam occurrat) cum inſigni anxietate, ſtertore & præſentaneo ſuffocationis periculo conjuncta, quod ob glandulas bronchiorum tumidas aut in tubulis hiſce æoliis præſens ſerum aër ad veſiculas pulmonales pertingere nequeat, aut in haſce effuſum ſerum eidem ſubintraturo ſpatium deneget, ſicque expanſione pulmonum ſolita impedita ac libero aëris comeatu intercepto reſpiratio lædatur, imminuatur, imo penitus nonnunquam aboleatur, eo magis, quod ob denegatam ſufficientem aëris copiam ſanguinis motus tardetur, quin & expanſio ſolita pulmonum imminuta aut fere deficiens ſerique præſentis copia eidem tranſituro obicem ponat, qui proinde in ipſa pulmonum ſubſtantia ſtagnans æque, ac ipſum ſerum, reſpirationem turbat ac ſufflaminat. Stertor autem ac ſonitus pectoris ſæpius hîc concurrens inde proficiſci videtur, quod materia ſeroſa in bronchiis aut trachea quin & ipſis forte veſiculis pulmonalibus hærens ab aëre ingreſſuro plus minus commoveatur ac concutiatur, cum præcordiorum anxietas gravitatisque ſenſus, in Catarrho ſuffocativo præprimis obſervabilis, partim à ſanguine, ob impeditam per pulmones circulationem, dextrum cordis ventriculum ultra modum diſtendente inducatur, partim ambientis aëris pondus arguat, tunc ſenſibile, quod, denegato magna ex parte reſpirationis beneficio, ſanguinis elaſticitas ab aſſociato dependens aëre imminuatur, nec tanta amplius ſit, ut incumbenti moli ex aſſe poſſit reſiſtere. Jam prout nunc major nunc minor hæcce eſt reſpirandi difficultas, diverſa Catarrhus ſortitur nomina, ſiquidem ſi denſior ac crebrior, cum aliquali tantum difficultate conjuncta, notetur ſpiritus reciprocatio, Dyſpnœa vocatur; ſi gravior & frequentior reſpiratio cum ſtertore & ſibilo obtingat, Aſthma appellatur; ſi maxima ſpirandi difficultas ſuperveniat, ita ut ægrotantes nonniſi ſedentes & erecta cervice auram captare poſſint, Orthopnœa audit; ſin denique ſubito ac derepente liber aëris commeatus impediatur, Catarrhus Suffocativus nuncupatur. Conſ. *pag. 8.* XVIII. Pulſus nunc celerior à præternaturali ſanguinis orgaſmo & motu rapidiori reſultans ac febrilem in corpore præſentem diſpoſitionem innuens; nunc vero

ro tardior, à nimio humorum lentore, viſcoſitate, motusque tarditate proveniens; interdum inæqualis ac inordinatus à vario ſanguinis per pulmones ac proinde reliquum etiam corpus motu nunc tardiori nunc celeriori profectus. XIX. Urinæ color vel ob particulas 🜍eas aut ♀eas à ⊖inis acrioribus nimium ſolutas aut fuſas rubicundus; vel ob molecularum 🜍earum ac ⊖inarum, tincturam ipſi largientium, defectum pallidus & ſubalbus. XX. Ejusdem conſiſtentia nunc tenuior ob moleculas ⊖inas aliasque nimium fuſas & colliquatas; nunc craſſior, quia pars aquoſa iisdem vel aliis contentis ſaturatior exiſtit. XXI. Alvus modo fluidior, etiamſi catarrhus alias partes, non primario inteſtina affligat, quando uti ad reliquas corporis partes, ita quoque ad glandulas inteſtinales ſerum copioſius defertur, ibique in majori, quam alias ſolet, copia à ſanguine ſequeſtratur; modo adſtrictior aut ſuppreſſa, quando ob nimias alibi factas evacuationes parcius ibidem ſecernitur, aut, quæ colligitur lympha, nimiam conjunctam habet viſcoſitatem adeoque mollitie ac fluiditate debita fæces alvinæ deſtituuntur. XXII. Facies, etiamſi nullus tumor adeſt, nec quicquam ibi humorum p. n. colligitur, modo pallida, ſubalba ac frigidior, quia ſanguis tardius in corpore movetur ac ſeroſior viſcoſiorve exiſtens illuc ab arteriis adducitur; modo rubicunda ac calidior, quia particulæ ſanguinis 🜍eæ à ⊖e acri magis exaltantur ac expanduntur, quin & ob rapidiorem motum crebrioremque per veſicularem pulmonum ſubſtantiam tranſitum ab admixtis ſubtilioribus aëris atomis ſolito plus in bullulas atque veſiculas redactæ ſpumeſcunt, ſicque ſanguis purpuream magis tincturam nactus faciei advehitur. XXIII. Odoratus imminutus aut abolitus, quod tunicæ narium perque eam diſperſi proceſſus nervi olfactorii papillares vel à copioſa humiditate nimis relaxatæ impreſſiones vaporum odoratorum recipere nequeant, uti ab humida & aquilonia aëris conſtitutione venaticorum etiam odora canum vis hebetatur; vel à muco viſcoſiori ſerove tenuiori obducantur ac diffluant, ut particulæ odoriferæ ad eas penetrare nequeant, non aliter ac, cum cerumine aures opplentur, imperfecte ſonos quosvis percipimus, quod inter ſenſus organum ac objectum medium aliquod intercedat corpus, mutuum eorum contactum vel fortiorem ſaltem hujus in organum impulſum ac impreſſionem impediens. XXIV. Guſtus ſimiliter imminutus vel ad tempus abolitus, quod vel moleculæ ſaporiferæ nimium à majori ſalivæ copia di-

 luan-

luantur, aut viſcoſitate ejus ac lentore involvantur; vel papillæ linguæ ac vicinarum partium nerveæ, nec non tunicæ ac membranæ harum iisdem ſuper extenſæ ab humore copioſiori aut viſcoſiori obſideantur, ac proinde particulæ ſaporiferæ ſenſorii porulos ſubintrare actionemque ſuam in illud ipſum exercere haud poſſint, aut, ſi poſſint, papillæ tamen nimis relaxatæ eandem nequeant recipere. XXV. Oris amaror aut ſalſedo, quod ſaliva particulis pluribus bilioſis, ⊖ ſis, aut ⊖ ſo-muriaticis imbuta ſit, inductusque ab iis ſapor à papillis linguæ vicinisque nerveis, utpote ſaliva madidis, percipiatur. XXVI. Sitis plerumque vehementer affligens, vel quod ob immoderatiores ſeri evacuationes rivulis ſeroſis, ventriculum gulam atque os internum alias irrorantibus, materia ſubtrahatur, aut ſerum viſcoſius & craſſius glandularum, partes haſce irrigantium, vaſa & porulos excretorios oppilet, ſicque ob ſalivæ lymphæque humectantis defectum partium earundem fibræ leniter corrugentur atque contrahantur; vel quod ſerum ipſum ⊖ ſedine ac acrimonia p. n. laboret, adeoque ſaliva & glandularum ventriculi gulæque lympha, tanquam genuina ejus ſoboles, particulis ſuis ſalſis, ac ſalſo-muriaticis acrioribus fibrillas nerveas rodat atque vellicet, hacque ratione ſpiritibus animalibus eam præſtet impreſſionem, per quam phantaſia in fluidorum deſiderium feratur. XXVII. Febris, catarrhalis dicta, non quaſi à catarrho, qua tali, excitetur aut occaſione ejus oriatur, ſed ſolummodo, quod catarrhus partem ſolidam affligens ac inordinatus maſſæ ſanguineæ motus nonnunquam concurrere obſerventur, qui cum ab acrimonia præcipue ſeri inducatur, ejusdem præſentiam febris ipſa neceſſario teſtatur. Hæc præcipua ſunt catarrhorum Symtomata, quæ tanquam Signa Diagnoſtica primaria commemoratione ac explicatione diligentiori digna mihi viſa fuerunt, partim affectus noſtri præſentiam ſignificantia, partim etiam cauſas ejusdem ac in primis Antecedentes commonſtrantia, quibuscum ad faciliorem certioremque obtinendam Diagnoſin conjungenda ſunt variæ materiæ peccantis conſtitutiones ſupra *pag. 11. ſeq.* declaratæ, nec non ſubjectum, ac cauſæ tam antecedentes & temperamentum ægri, in cauſæ proximæ cognitionem ſæpius deducens, quam procatarcticæ, utpote quæ non ſolum, ceu ſæpius ſupra monui, antecedentes excitare ac commovere valent, ſed &, immediate in partem affectam agentes, absque illarum concurſu affectum noſtrum ſæpius producere conſueverunt. Quæ ſingula

gula qua ratione intellecta velim, ut uno alterove exemplo nonnihil illuſtrem, fingamus Medicum ad ægrum ſeroſo præditum temperamento vocari, ac, ex aureo præcepto divi *Coi in Libr. de Affectionibus text. 36. circa med.* interrogantem, ſequentia ex ægro ferre reſponſa: ad quæſt. primam, *Quid patiatur*, ſe tuſſi vehementi & quadam, leviori licet, reſpirationis difficultate affligi, attamen paululum tantum materiæ cujusdam tenuis ac ⊖ſæ rejicere, interea oris ſalſedine ac ſiti ferme continua excruciari: ad ſecundam, *Quibus de cauſis*, ſe vix aliquam hujus mali rationem reddere poſſe, niſi id forte aliquid conferat, quod per aliquot dies, aëre calidiore exiſtente, pedibus iter fecerit, ſimulque ira vehementiori ob illatam ſibi injuriam exarſerit: ad tertiam, *Quamdiu*, ſe aliquot tantummodo dies cum affectu hocce conflictari: ad quartam, *An alvus ſecedat* (adde, & aliæ evacuationes tum naturales tum artificiales conſuetæ rite ſe habeant) alvum quidem ſuum facere officium, ſed ſcarificationi conſuetæ octo jam dies protractos eſſe: ad quintam, *Quo victu utatur*, ſe cibis acribus aromaticis, quin & ſalſis ac muriaticis delectari &c. Jam ergo juxta *pag. 47. fin.* Medicus prudens ex tuſſi facile colliget, organa reſpirationi dicata à cauſa quadam irritante affligi: è rejectione materiæ ſeroſæ, reſpirationis quadam difficultate, raucedinis abſentia, reliquarumq; partium ſanitate integra, ſecundum *pag. 46. & 48.* ſola affligi bronchia pulmonalia, adeoque ægrum juxta *pag. 8.* rheumate ſive catarrho pulmonum affligi: ex temperamento ſeroſo ac ſcarificatione conſueta intermiſſa ad ductum *pag. 37.* ſerum in corpore abundare: ex oris ſalſedine ſitique præſenti juxta *pag. 50.* motu vehementiori ſecundum *pag. 36.* calore intenſiore perpeſſo docente *pag. 33.* cibisque aſſumtis juxta *pag. 35.* copioſum illud ſerum nimium fuſum ac acrimonia ſalſa depravatum eſſe, adeoque ſine dubio juxta *pag. 32.* cauſam hujus mali antecedentem exiſtere; quale in ipſis bronchiorum glandulis ſecundum *pag. 30.* anguſtationem per modum conſtrictionis & obſtructionis inducere, materiæ ſeroſæ (quamvis ob tenuitatem nimiam copioſa in oris cavitatem attolli nequeat) rejectio rejectæque ſalſedo ſatis ſuperque demonſtrant. Similiter ſi ſerum tenue ac acre è naribus effluat, ægerque in aëre ſuffumigiis aut effluviis halitibusque acrioribus verſatus fuerit, facile conjiciet Medicus rationalis ſecundum *pag. 7.* coryza ægrum laborare, effluviaque illa, quibus aër imprægnatus fuit, juxta *pag. 35.* humores ad glandulas narium advectos fudiſſe, acriores reddidiſſe, quin & fibras

 ipſas

ipſas ad contractionem irritaſſe, ſicque docente *pag. 31.* anguſtationem pororum nonnullorum per modum conſtrictionis, obſtructionis, obturationisve induxiſſe. Sicut ergo ex ſignis hiſce tam primariis quam ſecundariis rite penſitatis accurata affectus uniuscujusque ac cauſarum ejus Diagnoſis haberi poteſt; ita non minus accurata ex iisdem quoque

PROGNOSIS deſumitur, ſi Symtomatum, quæque exinde conjicitur, Cauſarum vehementia aut debilitas ac partis affectæ conditio ægrique conſtitutio attentius conſideretur. Omnis enim prænotionis & prædictionis cardo in curato λογισμῷ verſatur, cujus beneficio, (poſtquam ſcil. ex Symtomatibus reliquisque ſignis cum quæ præter naturam adſunt, tum quæ ſecundum naturam ſuperſunt collegimus, ac utraque, non neglectis tamen aliis pro hac vel illa parte militantibus circumſtantiis, æqua mentis trutina penſitavimus) accuratum intellectus format judicium, utrum ea, quæ ſec. nat. adhuc reſtant, (*Vivens* enim *non datur, quod nihil ſanitatis includat,* ut loquar verbis Doctoris quondam hujus Lycei celeberrimi, νῦν ἐν τοῖς ἁγίοις, *Philippi Scherbii in Theſ. Medic. Diſp. I. §. 45.*) p. n. præſentibus omnino ſuccumbere neceſſe ſit, an vero ſua ſponte aut convenientium remediorum ope domitis iis denuo caput efferre poſſint, quoque tempore ac quo modo illud futurum eſſe videatur. Hæc eſt illa comparatio, quam cum veteres tum recentiores Hygeæ ſacerdotes merito urgent, præeuntem ſecuti anteſignanum ſuum *Galenum*, quem *in Comment. in Progn. t. 16.* ſequentibus docentem verbis in medium producere lubet: Κεφάλαιον ἁπάσης προγνώσεώς ἐστι τῶν τεθνηξομένων καὶ σωθησομένων, ἡ παραβολὴ τῆς τοῦ νοσήματος ἰσχύος πρὸς τὴν τοῦ κάμνοντος δύναμιν· ἰσχυροτέρου μὲν γὰρ ὄντος τοῦ νοσήματος, τεθνήξεται πάντως ὁ ἄνθρωπος· εἰ δ᾽ ἀσθενέστερον εἴη τῆς τοῦ κάμνοντος δυνάμεως, οὐκ ἂν ἀποθάνοι, μηδενὸς ἁμαρτηθέντος. *Summa & argumentum omnis prænotionis eſt & moribundorum & reconvaleſcentium, comparatio morbi roboris cum ægrotantis facultate: potentior ſi fuerit morbus, morietur omnino homo: ſi vero infirmior fuerit, quam ægrotantis vires vitales, non morietur, ſi nihil peccatum fuerit.* Quandoquidem igitur ſigna illa atque fundamenta præcipua prolixe ſatis ſupra expoſui, quæ tum de præter naturam præſentibus, tum de ſecundum eam reſtantibus frequentius teſtari ſolent; ſpecialiora ex eorum compoſitione ac comparatione formanda Prognoſtica judicio praxin

xin exercitaturi Medici relinquo, cum non ſolum pro diverſitate affectuum particularium, ſed & circumſtantiarum quarumvis varietate innumera hujus generis poſſint proferri. Qui autem ſpecialiora ejusmodi legere deſiderat, (non fruſtra certe eam impenſurus operam, ſiquidem & judicium acuet, & habitum accuratius dein ratiocinandi acquiret, ſi ad illud, quod jeci, fundamentum, tanquam Lydium quendam lapidem, ſingulorum veritatem exploraverit) adeat aliorum Practicorum oracula, ac in primis CL. *Sennerti Praxin*, ubi magnam eorum farraginem undecunque collectam inveniet. Mihi, cum ſingula aliorum manibus adeo trita & vulgari obſervatione proſtantia de charta in papyrum transſcribere ac in volumen ingens congerere nec libeat, nec liceat, animus nunc eſt rivos claudere Theoreticos; ſat enim inde Diſſertationis hujus prata jam biberunt, cum, qui generalius hîc propoſita ad ſpeciales quosvis caſus applicare didicerit, neceſſaria ad praxin feliciter inſtituendam cognitione non poſſit deſtitui. Neque tamen eadem nimium illis inebriata poterunt videri, cum verbis exprimi nequeat, quantum accurata affectus alicujus cauſarumque ejus cognitio ſubſequentem Praxin facilitet, quique ea deſtituti Curationem aggrediuntur Medici ſimillimi mihi videantur Ducibus illis, qui dubio ſatis eventu manum cum hoſte conſerere ſubſtinent, cujus tamen neque vires neque munimenta neque armorum, quibus utitur, genera ſatis habent explorata. Æternæ enim veritatis & quaſi è tripode dictum vetus illud eſt: Ο ΑΡΙΣΤΑ ΓΝΟΥΣ, ΑΡΙΣΤΑ ΘΕΡΑΠΕΥΕΙ: QUI BENE COGNOSCIT, BENE CURAT! Quare, ſpe felicis eventus certiſſima concepta, ad ipſam nunc

CURATIONEM alacris accedo, juxta generale Artis noſtræ fundamentum, *Quod ſecundum naturam eſt, conſervandum, quod vero præter naturam, tollendum*, tribus ſuffultam Indicationibus, à triplici Cauſarum (his enim ſublatis ſimul tollitur morbus & ſymtomata ejus) genere deſumtis: I. Ut cauſæ Procatarcticæ, cauſam antecedentem proximamve excitaturæ, corrigantur ac removeantur. II. Cauſæ Antecedentes ſive humores ad partem affectam affluentes atque jam jam cauſam proximam conſtituturi prohibeantur, corrigantur, evacuentur. III. Cauſa Proxima actu jam morbum meatuum anguſtatorum & ab eo oriundum catarrhum inducens emendetur atque removeatur. Quarum ſcopus qua ratione attingi poſſit, diligentius exponere nunc juvabit ad ductum generalis illius

 moni-

moniti, quod princeps Artis noſtræ *Galenus lib. II. de rat. vict. in acut. text. 2.* nobis reliquit : Ἀεὶ χρὴ μεμνῆσθαι τοῦδε· Τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα εἶναι. *Semper oportet meminiſſe hujus: Contraria contrariorum eſſe remedia.*

PRIMÆ igitur ut ſatisfiat Indicationi, de prohibendis ac removendis cauſis Procatarcticis ſollicitus erit Medicus, & quidem ſtatim ab initio curationis, cum alias (ac non immerito forte) poſſit videri

Ἀπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν, ἢ δὲ μάχεσθαι,

uti *Homerus* canit, non ſecus ac Dux ille deridendum ſe aliis propinaret, qui urbem aggeribus, vineis, turribus, magnis opibus, multo negotio, (ut cum *Cicerone* loquar) oppugnare laboraret, nec tamen, quo minus nova ſemper in eam præſidia poſſint introduci, omni ſtudio prohiberet. Quapropter ante omnia *Aër* calidior ſi peccare obſervetur, jubeatur æger in locum △re frigido temperato gaudentem ſe conferre, ſive natura talis fuerit, ſive arte demum reddatur, extravaſatione ✚ti & aq. frigidæ, aut diſperſione foliorum viridium ▽a gelida irroratorum v. g. *ſalicis, quercus, populi, tiliæ, betulæ, vitis, Fl. roſ. nymph. malv. violar. &c.* frigidus in culpa ſi ſit, eligatur moderate calidus, aut, ſi iter neceſſario faciendum ſit, corpus veſtimentis probe adverſus frigoris inclementiam muniatur, nariumque interiora *balſam. apoplectic. & ſuccin.* in gratiam faucium, aſperæ arteriæ ac pulmonum inungantur : ſiccus nocere deprehenſus fugiatur aut emendetur, & quidem, ſi ſimul calidior fuerit, iisdem, quibus calor temperatur, remediis; ſin ſimul frigidior exſtiterit, vapore aq. calidæ, dummodo prius moderate ipſe calefactus fuerit: humidus præterea, ſi affectui noſtro ſuppetias morboſas ferat, quantum fieri poteſt, vitetur aut corrigatur ſuffumigiis è *ſuccin. tacamahac. carann. gumm. juniper. lign. rhod. juniper. Fl. roſar. rubr. anth. lavendul. &c.* fumoſus vaporoſus effluviisque noxiis imprægnatus fugiatur, ac contra, uti jam olim *Scholæ Salernitanæ Doctores* edente *Renato Moræo* cecinerunt,

Aër ſit purus, lucidus & bene clarus,
Infectus, per ſe, nec olens fœtore cloacæ,
Alteriusque rei corpus nimis inficientis,

aut ſi purus haberi nequeat, pro virili emendetur & quidem, ſi effluvia humida, craſſa, putridave fuerint, ſuffmigiis humido aëri jam

jam oppoſitis, aut vapore ♁ti acrioris laminæ ferreæ aut ſilici △itis adſperſi ; ſin acriora fuerint , ſuffitu *maſtich. thur. oliban. ſtyrac.* aut vapore aq. calidæ: pulverulentus , utpote ſemper nigro carbone notandus, omni ſtudio vitetur, aut, ſi iter inſtituendum eſt, oculi larva ſpeculariis duobus prædita, quin & oris nariumque patula foramina linteis ſericeis adverſus pulverem muniantur. Quod ad *Cibum & Potum* attinet, ſi quid nimia menſa peccatum fuerit, id ſequentis menſæ frugalitate corrigere ac deinde parciorem ſemper cibum potumque aſſumere æger jubeatur, memor veteris hujus: *Sanitatis ſtudium eſſe, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores:* ſi humiditate nimia noxia deprehendantur eſculenta , ſubſtituantur ſicciora, uti carnes pleræque, & aſſatæ quidem potius, quam elixæ: ſi nimis lenta, craſſa, ac pituitoſa in culpa ſint, uſurpentur alia boni ſucci & facilis digeſtionis , ac aromatibus probe condita, non neglecto vini generoſioris hauſtu: ſi calidiora ac acriora alimenta noxia fuerint, in uſum vocanda ſunt caloris ac acrimoniæ expertia: acida, ſi peccent, vitentur: ſaccharata denique, quantum fieri poteſt, proſcribantur, aut parcius ſaltem in uſum trahantur, ſiquidem docente *Horatio Sermon. lib. II. ſat. 2.*

Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Motus corporis ſi exceſſu noceat, parcior imperetur; ſin temporis importunitate peccet, poſt aſſumtum cibum quieti paululum indulgere conſultum videtur, ita tamen ut *Quies* etiamnum ſive immodica ſive importuna fugiatur, cum *Laborem optimum cibi condimentum* viri doctiſſimi eleganter non minus quam vere pronunciarint, ac *Schola Salernitana* id ipſum ſignificatura canat:

Poſt cœnam ſtabis, aut paſſus mille meabis.

Vigiliarum ac Somni eadem cum ſit ratio, ſolummodo præceptum *Ejusdem* adjicere lubet:

Sit brevis, aut nullus tibi ſomnus meridianus.

nec non πολυθρύλλητον illud:

Septem horas dormiſſe ſat eſt juvenique ſenique.

Excernenda retenta, ſi in culpa ſint, eorum evacuatio convenientibus præſidiis promoveatur, uti contra, ſi *Retinenda excreta* peccent, excretio nimia appropriatis remediis inhibenda eſt, quæ aliunde petantur, cum varietas iſtorum ac inſtituti mei ratio ea hic inſerere non concedat. Qui vero hic etiam commemorari debet Veneris uſus immo-

immodicus cane pejus, quod ajunt, ac angue fugiatur. *Animi pathemata*, quæ nocent, prudentiæ freno inhibeantur, ac contrariis pro re nata excitatis corrigantur; ſimiliter & *Medicamenta* ac *Operationes Chirurgicæ* ſymbolum ſuum morbificum conferentes removeantur, omittantur, ac contrariis emendentur. Denique quæ ex ordine rerum Præternaturalium hîc concurrunt cauſæ Procatarcticæ juſtis remediis corrigantur ac tollantur, quæ L. B. in præſentiarum à me haud exſpectabit, cum integra ferme Praxis conſcribenda mihi eſſet, ſi ſingulis hiſce nodis ſuos aſſignare vellem cuneos, quamvis in pleriſque fere ea quoque rem conficere poſſint remedia, quæ pro Antecedentibus catarrhi cauſis debellandis ſtatim adducentur. Cum enim, remotis cauſis Procatarcticis, ſatis jam proſpexerim, quo minus majores indies hoſtis noſter ſibi vires comparare poſſit; proximum nunc eſt, ut de illis, quas jam tum acquiſivit, infringendis ac enervandis cogitationem ſuſcipiam, atque eas, quæ actu jam in corpore præſentes ad locum affectum tendunt, hoſtiles copias prohibere, diſſipare, aut armis noxiis omnino exuere allaborem. Quod ipſum cum

SECUNDA jubeat Indicatio, ad eam nunc accedo, expoſiturus, quibus auxiliis humores ſeroſi vel acrimonia varia, vel tenuitate vel lentore vel copia nimia in corpore peccantes (has enim ſupra *pag.32.* accuſavi Cauſas antecedentes) corrigi poſſint atque evacuari.

Acrimoniam igitur ſeri *acidam* corrigunt (1) Abſorbentia quælibet, acidi vim potenter invertentia, idem imbibendo abſorbendo & (quo termino *Sylvius* in *Praxi* ſua ſæpius utitur) concentrando, non ſecus ac in 🜃is argillaceis contentum ſpiritum acidum, quem, ſi ore eæ detineantur ac manducentur, guſtus facile deprehendet, particulæ 🜃eſtres, pauculis forte oleoſis concurrentibus, egregie attemperant atque obtundunt, aut ocul. ♋ vel aliud concretum 🜃eo-alcalinum acidum affuſum imbibunt ac abſcondunt. Talia autem ſunt tum partes animalium quævis duræ aut lapideæ, particulis pluribus 🜃eo-alcalinis conſtantes, v. g. *CC. Cranium humanum, oſſa ſepiæ, dens apri, maxilla lucii piſcis, ocul.* ♋. *lapis percarum, carpionum, bezoar, putamina ovorum* &c; tum vegetabilia plura 🜃eo-ſtyptica, uti *gallæ, flores roſ. rubr. rad. tormentill. china chinæ* &c. vel 🜃eo-alcalica, uti *rad. irid. florent. pœon. corylos, viſcus quernus*; tum denique concreta marina aut mineralia & metalla varia, v. g. *Unicornu foſſile, cryſtallus mont. corallia, mater perlarum, margaritæ, lapides pretioſi,* 🜃*æ ſigillatæ*

variæ,

variæ, bolus armen. creta, lap. hæmatit. quin & abſorbentia varia ex jove, ♂, ♄ & ♁io parata e. g. *♁ium diaphoreticum, bezoard. minerale, ceruſſa ♁ii, ſacchar. ♄ni, antihecticum Poterii, limatura ♂tis, crocus ♂ ſtypticus & 🜍atus &c.* (2) Oleoſa, quæ particulis ſuis ramoſis ac 🜍eis acidas acutas obtundunt, oblinunt, ac involvunt, uti quidem acidum in 🜍e vulgari ab 🝆ſis ſeu bituminoſis particulis occultatur, ac ſpiritus vini acidis mineralium ſpiritibus affuſus eosdem attemperare obſervatur. Hujus generis ſunt ſemina quæcunque 🝆ſa e. g. *aniſ. fœnicul. angelic. 4. frigid. major. lini, hyperic. papav. alb. &c.* & fructus ſimiles, uti *piſtacea, amygd. dulc. nux moſchat. &c.* atque inde reſpective paratæ emulſiones, (quibus ipſum lac affine eſt) expreſſa vel deſtillata olea, quorum illa viſcoſiora minusque volatilia, hæc minus viſcoſa, tenuiora & ætherea plerumque habentur: tum 🜃æ pinguiores quævis ac corpora 🜍ea, oleoſas particulas pluribus 🜃eſtribus combinatas habentia, v. g. *🜃a ſtrigonienſis, medulla & axungia ſolis dicta, marga, 🜍ur commune,* atque exinde parati *balſami varii, floresque eju*s nec non *lac*, non ſecundum vulgarem ſed peculiarem CL. Kœfferlini ab eruditiſſimo *Henr. Screta in Tract. de Febr. Caſtrenſi p. 326.* publico communicatum modum parandum, *ſuccinum, cinnabaris nativa, & ♁ii, 🜍ur 🜖li &c.* quin & Concreta alia 🝆ſo-ſalina e. g. *camphor. caſtoreum, aſa fœtida, ſperma ceti, crocus* eorumque extracta ac præparata varia, hisque affinia dulcia, ut *mel, ſaccharum, mulſa, vinum malvaticum, liquiritia, polypodium, caricæ pingues, paſſulæ majores & minores, ſebeſt. jujub.* atque ex hiſce concinnatum D·ctum pectorale Auguſtanorum. (3) Salia alcalia, quorum integra datur respublica, acidum mitigantia cumq; eo in ſal quoddam tertium, ſalſum dictum, coëuntia, prout ex 🜿 🜖lati, 🜃 foliat. 🜿i & 🜕 🜖lati atque 🜔✳ci &c. confectione patet. Sunt autem ea vel volatilia, alcalia urinoſa alias dicta, ſive ſicca ſive liquida, e. g. *🜊us & ſal vol. CC. eboris, cranii humani, urinæ, 🜿, ſalis ammoniac. volat. urinoſus &c.* nec non ſalia vol. plantarum per putrefactionem parata; vel fixa & lixiva ſive alcaliſata quibusdam appellata, uti abſynthii, card. bened. &c. Quibus quoad virtutem ſive facultatem proxime accedunt ſalia acido temperando proficua volat. oleoſa e. g. *🜊us ſalis ammon. aniſatus, lavendulatus, ſuccinatus,* & ſimilia juxta modos in *Collectaneis Chymicis Leydenſibus p. 351. ſeqq.* traditos parata, moderatiorem cum acido in corpore luctam ſubeuntia, nec phlogoſes æque concitantia ac frequenter tales ab alcalium purorum cum acido

concurſu excitatos fuiſſe Practicorum obſervationes teſtantur. Huc etiam ſpectat ſpiritus vini ab herbis, radicibus ac ſimilibus aromaticis vel aromatibus ipſis abſtractus, quin & ipſa ſimplicia ſale volat. oleoſo plus minus acri abundantia, nec non olea eorum deſtillata, decocta, extracta, aliaque quæcunque præparata. (4) Aquoſa acidum diluentia, non ſecus ac pars aquoſa in fructibus acidulis ſuccos eorundem, abactis particulis aquoſis ſat acidos exiſtentes, aut aqua commixta acerrimum acetum temperat, e. g. *aqua herbæ Thee, decoct. hordei, C. C.* aut aquæ quævis deſtillatæ inſipidæ. (5) Opiata aliaque anodyna ac narcotica 🜍e vaporoſo acidum peccans aliquantum quidem obtundentia, maximam vero partem ſpirituum animalium expanſionem ſive elaterem, hincque dependentem fibrarum tenſionem ſenſibilem ſedantia & cohibentia, uti *opium* & exinde parata *eſſent. opii* celeberrimi *Langelotti*, *tincturæ opii*, *laudan. opiat. & extracta* varia, item inter compoſita *theriaca Andromach.* & *cœleſt. mithridatium*, *electuar. diaſcord. Fracaſt.* ac *Sylvii in Praxi Med. lib. I. cap. LVIII. §. 22.* deſcriptum, *philonium Romanum*, *nepenth. aur. requies Nicolai*, *pilul. de cynogloſſ. de ſtyrace Sylv. in Prax. Med. lib. I. cap. XX. §. 36.* exhibitæ, nec non *papaveracea* varia ac de *hyoſcyamo* &c. parata.

Acrimoniam ſalſam ac ſalſo-muriaticam egregie temperant (1) mucilaginoſa, uti *rad. alth. fol. malv. ſem. pſyll. cydonior. tragacanth.* & exinde compoſita varia, hisque quoad texturam ſuam materialem atque inde provenientem efficaciam propinqua affinitate accedentia gummeo-reſinoſa, uti *gumm. arabic. ſtyrax, oliban. myrrha, maſtix. ſuccinum* & ex talibus magnam partem concinnatæ, à Sylvio quam maxime laudatæ, *pilul. de cynogloſſ. & de ſtyrace.* (2) Gelatinoſa, alcali volatile ſeri nutritii coagulati immerſum habentia, uti *gelatina C. C. caponum* atque ex aliis animalium partibus oſſeis ſimili modo confecta. (3) ○○○ſa minus acria (4) aquea (5) 🜃eo-alcalina & (6) opiata, quorum ſingulorum, jam antea expoſitorum, vires explorari facile poterunt, dummodo 🜄æ fontanæ ſale multo imprægnatæ probe commiſceantur.

Acrimoniam alcalicam à bile copioſa ſalina volat. acriori, particulis ○○○ſis minus temperata, in ſero ſoluta enatam corrigunt (1) acida fixa, uti ſunt -∩- nitri, 🜖li, 🜔is, 🜍is. (2) Acido-auſtera, v. g. *ſuccus berberum, granatorum, ribeſiorum &c.* ut & (3) reliqua adverſus acrimoniam ſalſam ac ſalſo-muriaticam jamjam commendata. Speciatim

au-

autem inſuper (4) huc referenda illa ſunt, quæ bilem intimius maſſæ ſanguineæ junctam ab eadem ſeparant, & ad vias urinarias deducunt, quorum formulas vid. apud *Sylv. prax. Med. lib. I. cap. XXIX. §. 42. & 43.* quin & cholagoga temperata eandem per alvum evacuantia.

Tenues humores incraſſant (1) imbibentia 🜄ea (2) mucilaginoſa & gelatinoſa, itemque lentore gummeo vel 🝆ſo conſtantia (3) opiata & papaveracea, optima & univerſalia quaſi incraſſantia à viro celeberrimo, *Georg. Wolffgango Wedelio Tract. de Medicamentorum Facultatibus Lib. I. Sect. II. cap. IV.* dicta, quæ vix alio mihi modo hîc operari videntur, quam ☊uum animalium expanſionem cohibendo ſicque ſanguinis motum nonnihil tardando, quo imminuto humores ante magis diſtracti ac rarefacti neceſſario aliquantum coagulantur atque (ut ita loquar) concentrantur.

Contra *Lentos* nimis ac viſcidos humores, ſi tales peccent, attenuant (1) ſalina volat. acria tam macra, ut *rad. ari pimpinell. cortex Winteranus*, plantæ antiſcorbuticæ &c. quam 🝆ſa, ut 🝆 carminativa, & ſalia volat. 🝆ſa, nec non aromatica & aromata ipſa, uti *mentha, puleg. roſmarin. meliſſ. flor. lil. convall. anth. cinam. cubeb. cardamom.* &c. (2) amaricantia, uti *rad. cichor. tarax. fol. abſynth. centaur. minor. eupatorium, aloë* & ex his parata varia. (3) gummata acriora, uti *bdellium, ſagapenum, galban. ammoniac.* eorumque Tincturæ cum ſpiritu vini extract. quin & aqueo-reſinoſa, uti *decoct. lign. ſanct. ſaſſafr. rad. chin. ſaſſaparill. &c.* (4) ſalia fixa lixiva ex plantis quibuscunque per incinerationem parata, tum etiam (5) ſalſa ſeu enixa, uti 🜿*us* ⊖*lat. arcan. duplicatum ſive* ⊕ ⊖*latum, arcan.* 🜿 *Noricum,* 🜃*a foliata* 🜿*i* & ejus liquor, itemque (6) acida, uti ☊ *ſalis,* 🜍*is,* ⊖*li, nitri, virid. æris,* 🜊*tum deſtill. clyſſus* ♁*ii* 🜍*atus, cremor & cryſtall.* 🜿*i*, demumque (7) ⊖lata aperitiva, ut ⊖*lum* ♂, *crocus* ♂ 🜍*atus, Tinctura* ⊖*li* ♂*tis vera Zwelferi &c.*

Atque hæc præcipue generalior materia Medica eſt, variis humorum vitiis corrigendis apta nata, quam propterea diſtinctius exponendam eſſe judicavi, quod una fidelia duos plerumque hîc dealbare liceat parietes, cum unum idemque remedium non ſolum variæ temperandæ acrimoniæ inſerviat, ſed & utplurimum ſimul vel incraſſet vel attenuet, ut adeo, ſi vel ſola peccare acrimonia deprehendatur, nihilo tamen minus vix conveniens ægro ordinari poſſit remedium, niſi diligens ſimul ad conjunctam craſſitiem vel tenuitatem reſpectus habeatur. Quapropter etiam in ſequentibus

ea uti mihi libet methodo, ut in duas remedia claſſes diſpeſcam, quarum una humorum craſſitiem, altera vero tenuitatem eorundem reſpiciat, cum deinde ad ductum eorum, quæ jam jam propoſui, expeditum poſſit eſſe judicium, quænam inter illa huic vel illi potiſſimum corrigendæ acrimoniæ commoda exiſtant, uti pro majori vel minori eorundem virtute atque efficacia nunc fortiora nunc vero mitiora diverſis uſibus facile accommodantur. Sed è diverticulo in viam & ad ipſa nunc redeo Corrigentia, quorum ſpecialiores (ne eæ forte hîc deſiderari à quopiam poſſint) ſubjungere nunc oportebit Formulas, ita concinnandas, ut, cum innumeris ferme variare haſce liceat modis, illarum tamen, quæ commodiſſime hîc in uſum poterunt vocari, nonulla dentur exempla, ſimulque ſimpliciorum præſidiorum, utpote quæ diverſimode ſecum invicem commiſceri ſeſe patiuntur, uberior copia exhibeatur.

Attenuandis igitur craſſioribus ac lentis humoribus ſeqq. inſerviant Formulæ:

℞. *♁ii diaph.* ℈ij. *dent. apri præp.* ℈j. *ſal. vol. ſuccin.* gr. xij. *o°o caryophyll. deſt.* gt. iij. M. F. Pulv. & divid. in 3. chart. diſtinct. S. Pülverlein ein Papier voll auf einmal.

℞. *ocul.* ♋. *præp. C.C. absque △ præp.* á. ʒß. *ſal. card. ben.* gr. XXIV. *volat. C.C.* gr. xij. *o°o mac. deſt.* gt. iij. M. D. S. ut ante.

℞. *♁ii diaphor.* ʒß. *ungul. alcis præp. rad. ari pulv. croc. oriental.* á. gr. xv. *fol. aur.* n. j. terantur omnia ſupra porphyr. in pulv. tenuiſſ. D. ut ante.

℞. *pulv. ſtomach. Birckmann. ſpec. aromat. caryoph.* á. ʒij. *ſacch. roſat. tabulat.* ℥ß. *alb. finiſſ.* ℥iß. *o°o anis. deſt.* gt. vj. *cinam. deſt.* gt. ij. M. F. Pulv. D. ad ſcatul. S. Magen-Triſaneht / 2. oder 3. Meſſerſpitzen voll auf einmal.

℞. *trag. arom. uſitat. ſpec. diagalang. Meſ.* á. ʒij. *rad. ari pulv. caſſ. lign. pulv.* á. ʒj. *cubeb. pulv.* ʒß. *ſacch. q. ſ. ad pond. omn. o°o caryophyll. deſtill.* gt. IV. *macis deſt.* gt. ij. M. F. Pulv. D. S. ut ante.

℞. *rad. ari, irid. florent. man. Chriſt. perlat.* á. ʒß. *flor. benzoës vel ⊖ ✱ci* gr. IX. *o°o aniſ. deſtill.* gt. ij. *fœnicul. deſtill.* gt. j. M. D. S. Pulver auf dreymal.

℞. *ſpermat. ceti* ʒj. *ſacchar. albiſſ.* ʒiij. M. F. Pulv. D. S. zu zweyen malen.

℞. *ſperm. ceti ocul.* ♋. *♁ii diaphor.* á. ʒß. *flor. benzoës* gr. xv. *myrrh.* gr. vij. *elæoſacch. citr.* gr. vj. *aniſ.* gr. iv. M. F. Pulv. D. S. zu drey- oder viermalen.

℞. pulv.

℞. *pulv. ſtomach. Birckmann.* ʒij. *cryſtall.* ♀i, *croc.* ♂ *aperitiv.* ā ʒj. *Elæoſacch. fœnicul.* ʒj. M. D. S. Digeſtiv-Pulver 2. bis 3. Meſſerſpitzen auf einmal.

℞. *crem.* ♀*ri* ℈j. ♀*ri* ⊕*lat. vel lapid. prunell.* ℈ß. ℅ *aniſ. deſt.* gt. ij. M. F. Pulv. div. ad 2. chart. æq. S. Pulver zu zweyen malen.

℞. ⊖*lis abſinth.* ℈j. *arcan. duplic.* ▽ *foliat.* ♀iā. ℈ß. M. D. S. ut ante.

℞. *Gumm. ammon. (vel bdell.) in* ✝*to ſquillit. ſolut.* ℈ij. ♁*ii diaphor.* ▽*æ ſigillat.* ā. ℈j. cum *Syr. de hyſſop. q. ſ.* M. F. Pilul. n. LXXX. *conſperſ. pulv. liquir. aut ſem. aniſ.* Dr. ad ſcatul. S. Pillen zu etlichen malen.

℞. *rad. ari pulv. gumm. ammoniac. pulv* ā. ℈j. *flor. benzoës* ℈ß. *extract. enul.* ʒj. *ſucc. tarax. inſpiſſat. q. ſ.* M. F. l. a. Pilul. magnitudine piſi inaur. D. S. ut ante.

℞. *extract. helen.* ℈j. *croci,* ⊖ *card. ben.* ā. ℈ß. *volat. ſuccin.* gr. xij. ℅ *caryophyll. deſtill.* gt. iv. M. F. Pilul. n. XLV. D. S. Pillen auf dreymal.

℞. *conſerv. roſ. beton.* ā. ℥iß. *ſpec. diarrh. abb.* ʒvj. *aromat. roſat. zingib. in Ind. cond. calam. arom. cond. & inc.* ā. ʒij. cum *Syr. conſerv. zingib q. ſ.* M. F. l. a. Electuar. S. Lattwerg.

℞. *conſerv. beton. menth.* ā. ℥ij. *ſpec. diagalang. acor. condit. & inc.* ā. ℥ß. *nuc. moſch. cond & inc. cort. aurant. c. & inc.* ā. ʒij. *caryophyll. arom. pulv.* ʒj. cum *Syr. de helen. q ſ.* M. F. l. a. Electuar.

℞. *decoct. pectoral. uſitat. Auguſt. cum rad. enul.* ʒvj. *tarax.* ʒiij. *fl. ſcabioſ. ſummitat. ſerpill.* ā. Mj. *rec parat.* ℔ij. Col. add. *ſyr de beton.* ℥j. *de hyſſopo, oxymell ſquillit.* ā. ℥ß. ♎ ⊖✱*ci aniſat.* ℈ij. M. D. S. Erweichender Tranck täglich davon 2. mal zu trincken.

℞. *raſ. lign juniper. ſaſſafr.* ā ℥j. *rad. chin. ſarſaparill. caryophyllat.* ā. ℥ß. *C. C. C. raſp.* ʒvj. *ſem. anis. fœnic. cinam.* ā. ʒij *caric. pingu.* n. iv. *ſebeſt.* n. vj. Inciſ. & contuſ. gr. mod. Dr. ad chart. S. Species zum Flußtranck.

℞. *raſur. lign. lentiſcin. guajac.* ā. ℥ij. *lign. aloës* ʒij. *paſſul. major. exacinatar.* ʒvj. infund. *in aq. fervidiſſ.* ℔vj & relinquantur per XXIV. horas ſupra ciner. calid. poſtea coq. ad tertiæ part. conſumt addendo ſub fin. *herb. ſerpill. roriſmar. hyſſop.* ā. Mß. *fl ſalv. lavendul.* ā. P. j. *bacc. juniper. ſem. fœnicul.* ā. ʒij. *cinam.* ʒj. Col. refriger. Dr. ad uſum. Sgr. Flußtranck. Doſ. ℥iiij. ad ℔ß.

℞. *lign. guajacin. el.* ℥viij. *cort. lign.* ℥ij. *paſſul.* ℥j *lign. aloës pulv.* ʒij. infund. in ℔. aq. xv. ferventiſſ. in ollam vitreatam &

ponantur ſuper cineres calidos per horas XXIV. Poſtea bene clauſa coquantur. Antequam vero ad medietatem coctio facta ſit, injiciatur *lign. ſaſſaphr.* ℥ij. *ſem. anis.* ʒiij. *cinam. el.* ℈iiij. *ſantal. citrin.* ʒj. coq. probe tecta ſine favillis & fumo, donec ad medietatem pervenevint: poſtmodum per ſe refrigerata colatura caute defundatur. Hujus exhibeantur ℥vj. ad imitationem *Joh. Petr. Lotichii Obſ. lib. III. cap. I. p. 239.*

℞. *ſpec. unius vel alterius horum decoctorum à prima coctione reſiduas,* affund ▽æ ℔ xx. & coq. ad tertias, ſub finem coctionis addendo *Cinam* ʒij. Refrigerata per ſe colentur & F. Potus Communis, in cujus defectu adhiberi commode poterit *tinctura lign. ſaſſafr. Mynſ. Armam. Sect. II.* deſcript.

℞. *rad. helen. zedoar. gumm. ammoniac.* ā ʒiij *croci* ʒj. coq. in aq. font. vel hyſſop. aut ſerpill. ℔j. *ad conſumt. medietatis, col. add. ſyr. de veron.* ℥j. *julep. cinamom.* ℥ß. M. D. S. öffters ein Löffelvoll davon zu nehmen.

℞. *raſ. lign. guajac. rad. chin.* ā. ℥j. *acor. galang. enul.* ā. ℥ß. *herb. hyſſop. ſerpill. rorismar. abſynth.* ā. Mß. *bacc. juniper. ſem. anis.* ā. ʒiß. *cinam.* ʒj. Inciſ. & contus. Dr. ad ſaccul. è ſyndon. alb. parat. S. Säcklein zu 3. Maaß oder 2. Kannen Wein.

℞. *rad. calam. aromat. caryophyll. helen.* ā. ℥j. *pimpinell. cort. citr. exter.* ā. ℥ß. *fol. ſalv. menth. abſynth. cochlear.* ā. Mj. *ſummitat. origan. ſerpill.* ā. Mß. *cinam.* ʒij. *macis* ʒj. Inciſ. gr. mod. Dr. ad ſaccul. è ſindon. alb. vel rubr. parat. S. ut ante

℞. *aq. cinamom.* ℥ij. *ſerpill.* ℥j. *julep. violac.* ʒiij. M. Dr. ad vitr. Sgr. Auf ein- oder zweymal zu belieben.

℞. *aq. hyſſop. tarax.* ā. ℥ij. *veron fœnicul.* ā. ℥j. *Syr. de beton. vel helen.* ℥ß. *jujub.* ʒij. ♌ ⊖ ✱*ci aniſat.* ℈ß. M. Dr. Sgr. Träncklein öffters Löffelweiſe zu nehmen.

℞. ▽ *contra catarrh. (à Frid. Hoffmann. in Theſ. Pharmaceut. pag. 6.* deſcript.) *menth. ſalv. aſthmat. Rudolph. vel Schröderi* ā. ℥j. *Syr. de hyſſop.* ℥ß. *Elæoſacch. cinam.* gr. xij. M. D. S. ut ante.

℞. *aq. ſerpill. (vulg.* vel *benedict. Mynſicht. Arm. ſect. XX.* deſcript.) *beton. tarax.* ā. ℥ij. *vit. matthiol. vel cinamom.* ℥j. *Syr. de menth. ſcabioſ.* ā. ℥ß. *Eſſent. lign. ſaſſafras cum ſpiritu vini vel potius* ♌ *ſerpilli* (ad modum *D. Michaëlis ab Ettmüll. Prax. P. II. cap. V.* traditum) *parata* ℈iv. M. D. S. ut ante.

℞. *aq.*

℞. *aq. menth. veron.* ā. ℥iij. *oxymell. ſquillit. ſyr. de hyſſop.* ān. ℥ß. *eſſent. fl. anth.* ℈iv. M. D. S. ut ante.

℞. *aq. puleg. hyſſop. enul.* ā. ℥j. *aceti deſtillati vel* ♆*ti theriacal. aut ſquillin.* ℥j. vel ℥iß. (cujus loco recipi quoque poteſt ♌ 🜔*is per camp. vel nitri* ℈j. vel ʒß.) *Syr. de helen.* ℥j. M.

℞. *ſperm. ceti* ʒß. *diſſolv. in aq. cinam.* & *hyſſop.* ā. ℥j. M. D. S. Auf einmal zu nehmen.

℞. *gumm. ammon. pulv.* ʒiß. *aq. hyſſop.* ℥iv. *vin. rhenan.* ℥ij. M. ut decet ſuper △ carbonum & exhibeatur pro 2. doſibus ad imitationem CL. *Brunneri Conſil. XXXIV. pag. 197.*

℞. *tincturæ lign. ſaſſafr. Mynſ.* ℥iv. ♌*us* ♀ *ſaſſafrat.* vel ♌ *juniper.* aut *gumm. ammoniac. cum virid. æris parat.* ℈ij. *Eſſent ſive tincturæ ſuccin. julep. cinam.* ā. ʒj. *ſyr. fœnicul.* ℥ß. M. D. S. Mixtur Löffelweiſe zu gebrauchen.

℞. *decoct. lign. guajac. vel ſaſſafras* ℥iij. ♌ ⊖✳*ci lavendulat. liq. C. C. ſuccinat.* ā. ℈j. M. D. S. ut ante.

℞. *eſſent lign. ſaſſafr. vel catarrhal. D. Michaël. ab Ettmüll. l. c.* deſcript. ℥ß. *fl. anthos* ʒij. M. D. S. Eſſentz 30. bis 40. Tropffen auf einmal.

In principio adſtringentibus res tentanda erit, quæ, ſi humor tenuior ſit, facile ſufficient, cum deinde, eodem viſcoſiori exiſtente, ſalina vol. acriora in auxilium trahenda ſint, quanquam nimius eorum uſus periculo non careat, cum ſæpius ulcera aut inflammationes ſubſequantur; quale exemplum legitur *in Hercul. Medico Wolffg. Hoferi Lib. I. cap. XI.* Inſervire autem hic poterunt plurima decocta ac gargariſmi Odontalgiæ oppoſiti, quibus nunc ſeqq. addo:

℞. *herb. uvul.* Mij. *veron. prunell.* ā. Mß. *flor. roſ. rubr.* Pij. *cortic. granat. ſem. cydon.* ā. ʒj. coq. in vin. alb. & aq. ſimpl. ā. q. ſ. Col. ℞. ℔j. in qua diſſolv. *O.* ℈iv. add. *rob. diamor.* ℥j. *ſyr. de roſ. ſicc.* ℥ß. M. Dr. ad vitr. S. Gurgelwaſſer.

℞. *fol. plantag. veron.* ā. Mj. *Fl. ſcabioſ.* P. ij. *liguſtr. prunell.* ā. P. j. coq. in ▽ *plantag. & prunell.* ad remanent. ℔j. Col. add. *rob. dianuc.* ℥j. *mell. roſac.* ℥ß. *lap. prunell.* ʒiij. M. D. S. ut ante.

℞. *rob. diamor. dianuc. ſyr. pap. errat.* ā. ℥ß. M. F. Linctus.

In ingenti dolore interdum gargariſandum cum *lacte rec.* cui quoque adſtringentia ac anodyna incoqui poterunt, ceu ſupra monui. Quod ſi autem inflammatio nulla adſit, efficaciora erunt remedia, quæ ſub forma pulverum uvulæ inſperguntur, aut beneficio canalis alicujus ſimplicis utrinque patuli vel inſtrumenti à *Johann. Scultet. Armam. Chirurg. Tab. IX. Fig. VII.* depicti, aut, quod ei palmam præripit, à *Guil. Fabric. Hildan. Centur. II. Obſ. XXI.* exhibiti afflantur. Hunc in finem commode uſurpantur ab eodem *Hildan.* deſcripti pulveres, quorum formulas hic ſubjungere lubet.

℞. *pulv. roſar. balauſtior. cortic. gran.* ā. ʒß. *fol. & flor. ſcabioſ. liguſtr.* ā. ʒij. *alum. uſt.* ʒiß. M. F. Pulv.

℞. *rad. biſtort. irid. flor. tormentill. gallar. immatur.* ā. ℥ij. *flor. roſ. rubr.* & *ſcabioſ.* an. ℥j. *lapid. calamin. pulv.* ℥iß. *alum. uſt.* ℥ij. M. F. Pulv. ſubtiliſſ.

Vel adhibeatur pulvis à *Thonero Obſerv. pag.* 110. deſcriptus:

℞. *cortic. nuc. exterior.* ℈ij. *granat. acaciæ, balauſt.* ā. ℈j. *alum. uſt.* ℈ß. M. F. Pulv. Vel

℞. *piper. long. cinam.* ā. ℈j. *cortic. granat. gallar. immatur.* an. ℈ß. M. F. Pulv.

Nonnulli *zingiber aut piper ſale vulg. vel decrepitato* (cui ego ⊖ ✱*cum* præferendum eſſe judico) *miſtum* ſimili ratione uſurpant, ac ſcapulis humeriſque cucurbitulas applicare jubent. Vertici quoque varia applicari ſolent, nec infelici cum ſucceſſu (niſi forte, uti fere ſuſpicari fas eſt, ille aliis ſæpius debeatur cauſis) quanquam, qua ratione in uvulam vires ſuas exſerere poſſint, in obſcuro poſitum eſt, niſi forte calore actuali ac effluviis aëri communicatis ſicque ei advectis id præſtent, quem tamen in finem felicius ſuffumigia in coryza ſuperius commendata adhibebuntur. Imponitur autem capiti *ſuccinum citr.* ſolum vel *ferment. acriori* permixtum, aut ad imitationem *Horſtii Obſerv. Lib. VI. Quæſt. III. Tom. II. p. 301. Emplr. ex acacia cum* ♁*to* & *gall. uſt. addito ungto roſaceo*, vel docente eodem *Lib. II. de tuenda Valet. cap. III. Append. Tom. III. p. 306.* ſacculus ex *pulv. caryophyll.* & *maſtich.* cum bomb. except. & *ſpiritu vini* calefacto humectatus, vel *mell.* & *piper.* q. ſ. ad vertic. *Crato Conſil. 77. p. 205. nucis juglandis medullam* jubet contundere cum *ſpiritu vini* & ſuturæ coronali pultis inſtar imponere: vel *ovum* ad duritiem coctum per medium ſcindit & unam medietatem calidam vertici imponit. Conf. *Hartm. Pr. Chym. l. II. c. LXXXIX*, qui etiam capillos verticis ſurſum & fortius & paulatim trahere jubet, donec faciant ſonitum; quod an aliquid præſtare poſſit, ſubdubito. In infantibus ſublevari columellam *Joël Med. Pract. lib. II. ſect. IX.* teſtatur, ſi eorum vertici *charta munda quadruplicata lactis muliebr.* & *aq roſac.* (addit. *Lib. IX. ſect. III.* etiam *major.*) *an. part. æq.* ſimul mixtis imbuta aliquoties imponatur. Quod ſi autem graviores ob cauſas, medicamentis licet potentioribus adhibitis, uvula reduci nequeat, ſummitatem ejus abſcindere neceſſitas jubebit: qua de operatione vid. *Hildan. loc. cit. Scult. l. c. Fig. III. Hier. Fabrit. ab Aquapend. de Oper. Chirurg. p. 63.* non neglectis cautelis, quas *River. Prax. lib. VI. cap. VI.* recenſet.

TONSILLARUM TUMOR.

Quandoquidem eadem hîc, quæ in angina notha, conveniunt præſidia, quin & tonſillarum tumor in illa ſimul nonnunquam obvenit, remedia jamjam proponenda hîc quoque in uſum trahantur; ſiquidem inflammatorius aut ad ſuppurationem tendens inque absceſſum abiens tumor jam non amplius catarrhis accenſeri meretur adeoque meam hac vice non efflagitat curationem.

ANGINA NOTHA.

Cum viſcoſius hîc ſerum ſive mucus quidam craſſior peccare conſueverit, incidentibus ac diſcutientibus res agenda maxime erit, quibus in principio mali adſtringentia addere juvabit, ut fibræ partium affectarum corroborentur, ſicque adverſus irruentis ſeri impetum nonnihil muniantur. Requiritur inſuper ſolers Chirurgi opera, qui aliquoties de die ſpatula, fol. ſalviæ, linteamine, aut linteis carptis bacillo in formam penicilli alligatis, ſingulis tamen prius ✠*to aut ſucco ſemperviv. rec. expr. ac tantillo* ⊖✱*ci acuato* intinctis, linguam, palatum, ipſasque ægrotantis fauces, prope tonſillas præſertim ac uvulam, ſenſim ſenſimq; ac leniter quidem (ne à duriori ſcil. frictione partes ipſæ lædantur ac veluti excorientur) ab inhærente muco repurget, interjecta tamen ſæpius gargariſatione, mucum nonnihil ſolutum ablutura partesque ulterius mundatura, in cujus gratiam, ut circa partes poſteriores eo felicius peragatur, ope ſiphonis gargariſmata convenientia ab eodem immittantur, quorum ſequentes dare libet formalas:

℞. ▽ *prunell.* ℥iij. *plantag. tarax. ſambuc.* ā. ℥ij. *ſyr. granator.* ℥j. *rob. diamor. dianuc.* ā. ℥ß. *Tinct. gumm. lacc. Mynſ.* ʒiij. M. D. ad vitr. S. Gurgelwaſſer laulicht zu gebrauchen.

℞. *fol. plantag. flor. roſ. rubr. ſambuc.* ā. Mj. Coq. in ſ. q. *aq. font.* Col. ℞. ℔j. add. *Syr. granator.* ℥j. *lap. prunell.* ℈j. *ſacch.* ♄*ni* ℈ß. M. D. S. ut ante.

℞. *fol. tarax. plantag. flor. prunell. roſ. rubr. pap. errat.* ā. Mß. *cortic. granat.* ℥ß. ○ *uſt.* ʒß. Coq. in ſ. q. ▽ font. Col. ℞. ℔ij. add. *rob. diamor.* ℥j. *ſyr. pap. errat. de ſcabioſ.* ā. ℥ß. ⊖✱*ci* ʒß. M.

℞. *fl. liguſtr. ſambuc.* ā. Mij. Coq. in ▽ *font.* q. ſ. Col. ℞. ℔j. add. *rob. diamor.* ℥j. ⊖✱*ci* ʒß. M.

℞. *rad. alth.* ℥j. *fol. plantag.* Mj. *veron. fl. prunell.* ā. Mß. *malv. ſambuc. pap. errat.* ā. P. ij. *ſem. cydon.* ʒij. *leviſtic. ſinap.* ā. ℈ij. coq. in ſ. q. *aq. hord.* Col. ℞. ℔iß. add. *rob. ſambuc. diamor. mell. roſat. colat.* ā. ℥ß. ⊖✱*ci lap. prunell.* ā. ʒß. M. D.

℞. ▽

℞. ▽ *fol. tarax. fl. roſar. ſambuc.* ã. ℥ij. *rob. diam. dianuc.* ã ʒiij. ♎ ⊖✳ci ℈ß. ⦶ gt. vj. M.

℞. *aq. fl. ſambuc.* ℥iv. *myrrh. pulv.* ʒß. *ſpir. vin. rectif.* ʒiij ♎ ⊖✳ci ℈j *ſucc. tarax. expr.* ℥ij. M. pro gargariſmat. ad imitationem *Fr. Deckeri Annot. ad Paul. Barbett. Prax. lib. II. c. I.*

℞. *rob. diamor. dianuc. mell. roſat. colat.* ã. ℥j M. D. S. Nach dem Gurgeln den Mund inwendig damit zu beſtreichen.

℞. *empl. diachyl. ſimpl.* ℥ij. *melilot.* ℥j. *cum* ⚬⚬ *chamæmel.* q. ſ. F. l. a. Magdal. D. S. Pflaſter aufgeſtrichen / auswendig oben ům den Hals zu legen.

℞. *empl. de melilot.* ℥j *farin. ſem. lini fœnugr.* ã. ʒij. *ol. chamæm. cer.* ã. q. ſ. M. F. l. a. Empl. D. S. ut ante.

℞. *unguent. anodyn.* ℥ij. ⚬⚬ *melilot.* ℥j. *nid. hirund. alb. græc. pulv.* ã. ʒj. cum *cer.* q. ſ. F. l. a. Unguent. S. Salbe zwiſchen einem doppelten Leinwad laulicht um den Hals zu legen.

℞. *ol. amygd. dulc.* ℥j. *chamæm. ſem. lin.* ã. ʒj *aniſ. deſt.* ℈ß. *ceræ.* ℈j. M. F. l. a. Linim.

℞. *cepar. ſub. ciner. coct.* ℥iij. *pulv. fœnugr. orob. lin.* ã. ℥ß. *croci* ʒß. *ol. irin.* q. ſ. M. F. Catapl. tepide imponendum.

Cataplaſmata è rad. herb. ſimilibusque ▽æ incoctis parata conſulto nulla adjicio, ſiquidem non ſolum madore ſuo fibras humectant ac relaxant, verum etiam calore actuali (frigida enim plane adhibenda non ſunt) ſerum facile fundunt ac tenuius reddunt, ſicque copioſiorem ejus collectionem promoventia malum ſæpius adaugere obſervantur, in angina vera pro abſceſſu maturando felicius forte adhibenda. Suffitus incidentes *pag 74.* propoſiti commodius hîc in uſum vocari poſſe videntur; neque, præſertim ſi gravius malum affligat, VS. negligenda eſt, revulſionis, quam vocant, ſanguinemque ſæpius admodum viſcoſum minuendi motuque celeriori donandi gratia in brachio celebranda, utpote quam in angina vere notha & absque ulla inflammatione affligente inſigne ſemel iterumque attuliſſe ſcio levamen.

BRANCHUS.

Eodem modo ſeſe res hîc habet, ac in Rheumate, niſi quod medicamenta externa commodius & utilius hîc adhiberi poſſint, præſertim ſi ſerum viſcoſius peccet, cum tenuiori eodem exiſtente haud adeo multum præſtare poſſe videantur. Inſervient autem eadem, quæ jamjam anginæ oppoſui; quare ulterius ſtatim progredi nunc licebit.

RHEU-

RHEUMA.

Cum pulmones, quorum bronchia in catarrho ſpecialiter dicto afficiuntur, in ipſa thoracis cavitate, oſſibus undique fere munita, reconditi ſint, vix alia hîc adhiberi poterunt præſidia, quam quæ pro debellanda cauſa antecedente ſuperius adduxi, obſervando tamen, eſſe *utile, ſi aliquamdiu ſerventur in ore, quo paulatim ad fauces pergentia bona ſui parte tranſeant in aſperam arteriam, ſicq; copioſius jungantur pituitæ incidendæ* (aut ſero fluidiori inſpiſſando). *Quicquid autem deglutitur, longiore via redire poteſt cum ſanguine ad pulmones*, ceu egregie docet *Sylvius de Meth. Med. Lib. II. cap. XVIII. §. XXVI.* Hunc in finem, præſertim ſi tenuius ſerum peccet, *l. c. §. XXIX. & XXXII.* rotulas & trochiſcos extollit, *qui ore diutius contenti & paulatim ſaliva diſſoluti ſenſim ad aſperam tendunt arteriam*, cum admodum probabile videatur, aliquam ſalivæ portiunculam ad latera aſperæ arteriæ deſcendere eamque (quanquam potiſſimum id præſtent glandulæ bronchiales, quarum *pag. 8.* mentionem feci) hac ratione interius oblinire, confirmantibus id fluidis acrioribus aſſumtis, utpote quæ, etiamſi uno impetu deglutiantur, ipſam nonnunquam aſperiam arteriam irritare tuſſimque ſatis vehementem ac ſæpius pertinacem excitare obſervantur. Quapropter huic præſertim uſui ſequentes inſerviant formulæ, ſerum viſcoſius attenuaturæ:

℞. *loch. de ſcylla, ſyr. de hyſſop.* ā. ℥j. *julep. cinam.* ʒij. *eſſent. lign. ſasſafr.* ā. ℈j. M. D. cum *bacill. liquirit.* S. Erweichender Bruſtſafft/ öffters von dem darein getunckten Höltzlein / oder aus einem Löffel langſam zu lecken.

℞. *ſyr. de veron. mell. roſ. ſimpl.* ā. ℥ij. ♎ *fl. anth.* ℈iß. M. D. S. ut ante.

℞. *oxym. ſquillit.* ℥ij. *julep. cinam.* ℥j. 🝆 *anis deſt.* gt. vj. M.

℞. *ſyr. de hyſſop.* ℥ij. *oxym. ſquill.* ℥j. *acet. deſtillat.* ʒiij. M.

℞. *ſyr. conſerv. zingib.* ℥j. ▽ *aſthmat. Schröder.* ʒiij. ♎ ⊕*li cum* 🜍 *parat.* ℈j. M.

℞. *ſperm. cet.* ℥ß. diſſolv. in *aq. ſerpill.* ℥j. ♎ *fl. anth.* ʒß. add. *ſyr. de beton.* ʒij. M.

℞. *conſerv. menth.* ℥ß. *cortic. aurant. condit. & inc.* ʒiij. *zingib. in Ind. cond. ſpec. arom. caryoph. pro morſul. imper.* ā. ʒij. 🝆 *mac. deſt.* gt. ij. *cinam.* gt. j. cum ſ. q. *ſacch. in* ▽ *cinam. ſolut.* M. F. l. a. confect. in morſul. D. S. Morſellen Stückweiſe in den Mund zu halten.

℞. *ſpec.*

℞. *ſpec. aromat. roſat. diarrhod. abbat.* ā. ʒj. ☍ *citr. deſt.* gt. iv. cum ſ. q. *ſacch. in* ▽ *fl. anth. ſolut.* M. F. l. a. Conf. in rotul. D. S. Scheuffelein in dem Mund langſam zergehen zu laſſen.

Incraſſando ſero tenuiori ſeqq. deſtinata ſunto:

℞. *loch. ſan. & expert.* ℥iß. *ſyr. de jujub. pap. alb.* ā. ℥j. M. D. S. Bruſt-Safft öffters davon zu ſchlecken.

℞. *ſyr. de eryſimo Lobel. de ſcabioſ. loch. de caulibus vel de farfar.* ā. ℥j. *julep. violac.* ▽ *papav. errat.* ā. ℥j. M.

℞. *loch. de pap. alb. ſyr. de jujub. de roſ. ſicc. oxymell. ſimpl.* ā. ℥j. M.

℞. *ol. amygd. dulc. recentiſſ. expr.* ℥j *ſacch. cand.* ℥ß. *mucilag. ſem. pſyll. cum aq. roſ. extr.* ʒiß. M.

℞. *ſpecier. diatrag. frig. rec. diaireos uſitat.* ā. ʒiß. *thur. maſc. myrrh. croc. auſtr.* ā. ℈j. M. cum ſ. q. *ſacch. in* ▽ *fl. pap. errat. ſolut.* F. l. a. Confect. in rotul. D. ad ſcatul. S. Bruſt-Scheuffelein öffters in dem Mund zu halten.

℞. *ſpec. diair. uſit.* ʒij. *flor.* 🜍*is* ℈ij. *ol. aniſ. deſtill.* gt. vj *cum ſacch. finiſſ.* ℥iij. *in* ▽ *ſcabioſ. ſolut.* M. F. l. a. Rotul. D. S. Abſonderliche Schwefel-Küchlein.

℞. *ſuccin. præp.* ʒj. 🜃*æ ſigill. bol. arm. ſem. pap. alb.* ā. ʒß. cum ſ. q. *ſacch. in* ▽ *tuſſilag. ſolut.* M. F. l. a. Rot. D.

℞. *Rotul. Sylvii Prax. lib. I. cap. XX. §. XXXVII. deſcript.* ʒß. D. S. Bruſt-Küchlein zuweilen eines im Mund zu nehmen.

℞. *MP. de cynogl. vel ſtyrac. Sylv.* gr. vj. cum ſ. q. *ſacch. albiſſ. in* ▽ *roſ. ſolut.* F. l. a. Rot. vel trochiſc. jubente *Sylv. loc. ſuperius cit.*

℞. *Extract. liquirit.* ʒj. *ſpec. diatrag. frig. myrrh. ſacch. penid.* ā. ℈j. cum ſ. q. *ſyr. de jujub.* F. l. a. Pilul. major.

℞. *troch. becch. alb.* ℥j. D. S. Huſten-Zeltlein.

℞. *ſem. melon. excortic. pap. alb.* ā. ʒij. *troch. becch. alb.* ʒj. *flor. roſ. rubr. ſtorac. calamit. oliban.* ā. ℈j. *croc. auſtr.* ℈ß. *extract. liquir.* ʒß. *ol. fœnic. deſtill.* gt. vj. cum ſ. q. *mucilag. gumm. tragacanth.* vel *arabic. alb.* ▽ *roſ. fact.* F. trochiſc. ſublinguales.

℞. *ſpec. diapenid. Nic. rec. diatrag. frig. rec.* ā. ʒj. ♄ *ii diaph. ſuccin. præp.* ā. ʒß. *diacod. in ſolid. uſitat.* ℥ß *ſucc. liquir. inſpiſſ.* ʒiß. cum *mucilag. ſem. cydon. aq. fœnic. & cinam. extr.* F. l. a. Trochiſci.

Commendari præterea merentur vapores & ſuffumigia *pag. 75.* laudata, ſenſim ore haurienda aut aëri aſſocianda, ne, ſi in majori copia attrahantur aëremve, confertim ei admixta, craſſiorem reddant, reſpiratio difficilis reddatur, aut metus ſuffocationis, ſi qui adeſt, teme-

re augeatur. Externe nonnulli pectori admovere ſolent emplaſt. & unguenta, inter quæ maxime eminent *Empl. filii Zachiæ, dia-ſulph. Ruland. Ungu. pectorale Auguſt. Reſumtiv.* vel ſola vel admixto butyro, pinguedinibus, axungiis, oleisque, ſeorſum etiam inungi ſolitis, v. g. *irin. ſalv. aniſ. nardin. laurin. violar. amygd. dulc. lil. alb. &c.* quanquam utrum ea præſtare hîc aliquid poſſint, præterquam calore blando pectus fovendo, & ſanguini pauciſſima forte effluvia per longiſſimas ambages pulmonibus deferenda communicando, iis cogitandum relinquo, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan.

DYSPNOEA, ASTHMA, ORTHOPNOEA.

Quæ de Rheumate dicta ſunt, ea hîc quoque locum inveniunt, niſi quod in ipſo paroxyſmo alia inſuper remedia in auxilium trahenda ſint, utpote clyſter acrior, nec non V. S. ſanguinem imminuens motumque ejus à quacunque cauſa inhibitum accelerans & reſtituens, ut hac ratione, etiamſi tardius jam, reſpiratione imminuta, per pulmones circuletur, imo quodammodo in ipſis ſtagnare incipiat, motus tamen ejus conſervetur, augeatur atque reſtituatur. Conf. quæ jamjam in Catarrho ſuffocativo de iisdem monebuntur. Laudantur præterea à Practicis plerisque, felicem ſucceſſum ſæpius expertis, Vomitoria, quæ omnino exhibenda ſuaſerim, niſi vel vires proſequendo vomituriendi conatui impares exſtiterint, vel gravius aliquod pulmonum vitium aut debilitas eorundem aliæve circumſtantiæ vomitum prohibuerint, vel denique ſerum admodum viſcoſum & ad evacuationem ſubeundam ineptum præparationem & attenuationem præmittendam poſtulaverit. Etenim exhibito vomitorio non ſolum à gula ſurſum mota aſpera arteria ſimul attollitur, ejusque hemicycli verſus ſe invicem propius adducuntur, quin & pulmones ipſi à diaphragmate reliquisque thoracis muſculis verſus ſuperiora adiguntur, conſtringuntur ac leviter quaſi comprimuntur; verum etiam fibræ muſculares, tracheam ac bronchia ubique ſtipantes, ultimos quaſi niſus, per conſenſum irritatæ, exſerunt, ſimulque plus ſolito aëris neceſſario una vice emittitur atque exterminatur. Jam ergo, cum ab illa fibrarum contractione aërisque exſpiratione ſ. n. omnis muci è partibus hiſce rejectio perficiatur, adeo ut eam pro lubitu etiam unusquisque adjuvare queat, nullum dubium eſſe poterit, quin, dum ob aſſumtum vomitorium fibræ ſeſe fortius contrahunt, aërque copioſius exploditur, promtius quoque

que inhærens bronchiis materia elevetur ac eliminetur, præſertim cum nonnunquam pus phthiſicorum per vomitoria evacuatum eſſe obſervationes Practicorum teſtentur, ſerumque illud ſalivale, quod rejecta jam ſaburra ventriculi & nihilominus tamen adhuc durante vomitu ægre rejicitur, ex ipſis bronchiis ac trachea (quam ſimul laborare conjunctus aëris emiſſi ſonitus ſignificat) aliqua ex parte proficiſci admodum probabile videatur. Quid? quod & ob inſignem hîc concurrentem corporis concuſſionem, pulmonum à muſculis thoracis factam compreſſionem, ipſarumque cellularum pulmonalium à fibris muſcularibus, eas undique ſtipantibus (vid. oculatiſſimos Anatomicos, *Marc. Malpighium in Epiſt. de Pulmon. I. & Williſ. Pharm. Rat. P. II. c. I. p. m. 8. & 9.*) ac per conſenſum nunc contractis inductam conſtrictionem tardior ſanguinis motus acceleretur, ipſeque fluidior ac tenuior reddatur, quin & in pulmonibus jamjam ſtagnaturus feliciſſime ulterius protrudatur. Sequentes igitur nunc pro vomitu ciendo dare libet formulas, quamvis forte fumus nicotianæ per tubulum ſenſim attractus & gutture hauſtus, cum periculum ſæpius hîc in mora ſit, in affectu noſtro reliquis palmam præripiat.

℞. 🜿 *emet. Mynſ.* gr. ij. vel iij. 🜿 🜖*lat.* gr. vj. 🝆 *aniſ. deſt.* gt. j. M. F. Pulv. D. S. Brechpülverlein.

℞. *hyſſop.* ℥j. *oxyſacch. emet. Ludov.* ʒß. 🜿 🜖*lat.* gr. iij. M. D. S. Brechtrāncklein.

℞. ▽ *menth. ſerpill. benedict. Ruland.* ā. ℥ß. vel ʒvj. *cinam.* ʒij. M.

℞. ▽ *hyſſop.* ℥iß *lil. convall. c. V. ſyr. emet. Sal.* ā. ℥ß. *crem.* 🜿 *chalybeat.* gr. vj. M.

CATARRHUS SUFFOCATIVUS.

Cum eadem ratione curatio hic inſtituenda ſit, qua ea in vulgari Rheumate ſ. Catarrho ſpecialiter dicto peragitur; (de ea enim ſuffocatione hîc ſolum loquor, quæ à catarrho ſive ſero in pulmonibus collecto & ſtagnante inducitur) pauculis tantummodo edocendum hîc erit, quid in ipſo ſuffocationis paroxyſmo agendum eſſe videatur. Primo itaque omnium ex unanimi ferme Practicorum conſenſu hîc laudandus venit clyſter fortior ac acrior, quem revulſionis, quam vocant, gratia absque ulla mora ægroto injiciendum admiſerim, non quidem quaſi humores à capite in pulmones alias delapſuros ad inteſtina alliciat, ſed quod ſanguinis motum verſus viſcera abdominis magis concitando, largiorem ſeri in glandulis inteſtinorum

 ſeque-

ſequeſtrationem promovendo ac denique ſanguinem particulis ſuis acrioribus fluidiorem reddendo anguſtiis hiſce pulmonum nonnihil mederi poſſe videatur. Formulæ tales eſſe poterunt:

℞. *rad. enul. ariſtoloch. rot.* ā. ℥ß. *herb. origan. centaur. min. marrub. rut.* ā. Mj. *fl. ſalv. chamæm.* ā. P. ij. *ſem. dauc. naſturt. fœnic.* ā. ℈ij. *pulp. colocynth. in petia ligat.* ʒß. coq. in ſ. q. *aq. fontan.* Col. ℞. ℥viij. add. *elect. hier. logad. hier. cum agar.* ā. ℥ß. *vitell. ov.* n.j. *ſal. gemm.* ℈ij. M. pro Enem.

℞. *rad. angelic. pyrethr.* ā. ʒj. *herb. beton. hyſſop. marrub. rut.* ā. M.j. *ſummitat. aneth.* P. ij. *ſem. cartham. in pet. ligat. agaric. in pet. lig.* ā. ʒij. coq. *in aq. commun.* Colat. ℞. ℥vj vel ℥viij. add. *el. diacathol.* ℥ß. *hier. colocynth. mell. anthoſat. ol. rutac.* ā. ʒiij. *anis.* ʒß. *ſal. gemm.* ℈j. M. pro Enem.

Quod ſi autem diutius moretur clyſter, alvus ad ejusdem dejectionem ſtimuletur ſuppoſitorio officinali acriori, vel ſimili hunc forte in modum parato:

℞. *troch. alhandal.* ℈ß. *rad. ellebor. alb. pulv.* ⊖✱*ci pat.* ā. ℈j. cum ſ. q. *mellis ad ſpiſſitud. coct.* F. ſuppoſitoria n. ij. ○○ rutac. illinenda.

℞. *rad. ellebor. pulv.* ℈ß. *fell. taurin. inſpiſſ.* ℈j. cum ſ. q. *mell. anthoſat.* F. ſuppoſitor. n. j.

Reddito clyſtere, vel, ſi periculum in mora eſſe animadvertatur, etiam ante clyſteris applicationem (ne, dum ille componitur, æger ſuffocetur) ad VS, tanquam ſacram ſalutis anchoram confugiendum erit, quæ in brachio vel pede celebrari poterit, quantitate detrahenda ex ægri tolerantia conjicienda. Adaperta enim vena promtius vaſa venæ iſtius capillaria ſanguinem è poris primi generis recipiunt, hincque ille in poros iſtos è vaſis arteriarum capillaribus, in hos è ramis majoribus, inque eos è trunco deſcendente ipſoque ſiniſtro cordis ventriculo liberius effunditur, ut ita ſanguis aliquantum celerius, quam alias ſolet, ex ipſis pulmonibus per venam pulmonalem in ſiniſtram cordis auriculam & ventriculum poſſit deferri, cumque proinde celerius è pulmonibus refluat, quam advehitur, aliqua ſimul ſtagnantis ſeri & ſanguinis (vid. *pag. 8.*) pars una cum modo allato ſanguine venam pulmonalem ingrediatur. Præterea cum pertuſa vena vel nihil vel tantillum ſanguinis venæ cavæ dextroque cordis ventriculo revehat, ſed, qui reduci deberet, ſanguis per foramen factum effundatur, neceſſe eſt, ut eo temporis

ſpa-

ſpatioſo, quo vena adaperta ſervatur, tanto minor ſanguinis, quam alias ſolet, copia è dextro cordis ventriculo pulmonibus transmittatur, quantum per V. S. iſtam evacuatur, ſicque rurſus vena pulmonalis notabiliter depleta magnam ſtagnantium humorum partem poſſit abſorbere. Quando autem occluſa denuo vena ſanguis brevi poſt æquali celeritate ac quantitate per pulmones movetur, jamque non amplius ea, quæ modo expoſui, commoda habentur; nihilominus tamen, cum ipſa maſſæ ſanguineæ quantitas per V. S. imminuta ſit, minor ejus, quam antea, copia ad pulmones deducitur, ſicque ſenſim aliqua collectorum humorum portio venam pulmonalem poterit ſubintrare, ne nunc dicam, quod ſanguinis motus vena ſecta acceleretur, adeoque & illi, quæ jam in pulmonibus ſtagnat, portioni idem ſine dubio hac ratione paulatim reſtituatur. Subjungi hisce merentur quæ Eruditiſſimus *Malachias Thruſton in Diatrib. de Reſpirat. uſu primario ſect. 14. p. 77.* hac de re differit, *In omni pene*, inquiens, *ſuffocationis periculo undecunque illud immineat, conſtantibus viribus aut non omnino proſtratis uſu compertum eſt, VS. liberali manu celebratam (ſaltem in præſens) prodeſſe. Pertuſa ſiquidem vena ſanguinem verſus pulmones properantem aut etiam jam in illis congeſtum aliorſum ducimus, adeoque pulmones ab onere ſuo ſe paulatim liberant. Quin etiam aërem hauſtum depleta nonnihil vaſa libenter excipiunt: is autem cum ſanguine commixtus eundem & fluxiliorem facit & ad fermentationem procliviorem. Ego certe plusquam ſemel expertus ſum, quosdam ambeloſos, quorum anima ſummis, ut ita dicam, labris hærere tum ſibi tum adſtantibus amicis viſa eſt, tam ſubito levamen hoc pacto ſentiiſſe, ac ſi per factum vulnuſculum vitam prius aufugientem retraxiſſent; adeo in ipſo opere ſe novo ſpiritu donatos exclamabant.* Quod ſi timiditas ægri VS. abhorrentis, aut aliæ circumſtantiæ eam prohibuerint, cucurbitulæ ſcarificatæ applicandæ erunt, non neglectis iisdem absque ſacrificatione, quin & frictionibus extremorum, quarum uſum *pag. 70.* declaravi. Sed quid de Vomitoriis nunc dicendum videbitur? laudantur certe ab his, culpantur ab illis! Ut paucis me expediam, nolim ego in ipſo paroxysmo (niſi forte tunc demum incipiat) ea cuipiam propinare, cum ſanguis, quem actu in pulmonibus ſtagnare ſupra monui, non ita feliciter ac in paroxysmo aſtmatico ex iisdem (nec enim alia ratione vomitoria prodeſſe poterunt) exprimatur, cum tantam copiam vena pulmonalis illico recipere nequeat, ipſumque cellulas pulmonum occupans ſerum ſanguinem remoretur, adeo ut in iſto

vomituriendi conatu præſentiſſimum periculum immineat neceſſe ſit, vel vaſa ſanguifera à ſanguine diſtenta ob nimiam illam corporis concuſſionem ruptum vel ægrotum ob inhibitam inſpirationem, cum jam antea vix tantillum, nec reſtituta ea plus aëris ob nimiam ſanguinis replentis copiam haurire poſſint pulmones, penitus iri ſuffocatum. Quapropter omiſſo vomitorio ad VS. tanquam divinum Medicus auxilium ocyus confugiet, quo ægrum, etiamſi jam in perditis ac deſperatis habitum, ita ſublevabit, ac ſi aliquis ei è machina Deus affulgeat, cum deinde poſt aliquod temporis ſpatium, ſi vires aliæque circumſtantiæ reſponderint, vomitorium offerri poſſit, ut in bronchiis forte hærens veſiculasque pulmonales deinde ſubintrando paroxysmum rurſus inducturum ſerum eliminetur, atque ſanguis, ſi forte adhuc in pulmonibus abundet, extrudatur, non neglectis remediis potentioribus, ſanguinem ſtagnantem reſolventibus ac attenuantibus, quorum ſat magnam copiam ſuperius ſuppeditavi.

CATARRHUS GULÆ ET STOMACHICUS.

Cum, quæ per os aſſumuntur, immediate gulam ac ventriculum contingant, ea quoque potentiſſime cauſam affectuum horum proximam infringent atque corrigent, quibus ſubjungi poterunt pro incraſſandi ac adſtringendi ſcopo externa varia jamjam adducenda; ubi vero calidioribus, quæ vocantur, remediis opus fuerit, inungatur regio ventriculi (gulæ enim externis hiſce vix commode ſuccurri poterit) ℴℴ *abſynth. menth. nardin. roriſmar. juniper. macis, caryophyll. nuc. moſch. maſtich. ſuccin.* aliisque ⊖e volat. plus minus acriori gaudentibus, aut *ol. ſtomachal. comp. Craton. balſamove Peruviano;* vel imponatur ei *Empl. ſtomach. Mynſ. de bacc. laur. cerat. ſtomach. Gal.* vel è *maſtich. galban.* aut aliis gummatibus ſuper alutam extenſis parat. Vel

℞. *ol. nardin. menth.* ã. ℥ß. *juniper. deſt.* ℈j. *caryophyll. deſt.* gt. iij. M. D. ad vitr. S. Vermiſchtes Oel/ den Magen warm damit zu ſchmieren.

℞. ℴℴ *menth. abſynth.* ã. ℥ß. *maſtich.* ʒij. *macis deſt. caryophyll. deſtill.* ã. gt. iij. *balſam. peruvian.* ℈ß. M.

℞. ℴℴ *nardin. maſtich.* ã. ʒij. *nuciſt. expr.* ʒj. *ſpec. arom. caryoph. rad. ari pulv.* ã. ℈j. ℴℴ *anth. deſt.* ℈ß. *cum pauca cer.* M. F. l. a. Unguent. D. S. Magen-Sälblein.

℞. *rad. galang. helen.* ã. ℥ß. *herb. abſynth. menth. origan. roriſmar.* ã. Mj. *ſem. naſturt. bacc. laur.* ã. ʒij. *caryophyll. arom. mac.* ã. ʒj.

Inciſ.

Inciſ. & contuſ. M. D. ad ſaccul. è ſindon. rubr. parat. S. Säcklein in ſtarckem Wein auffſieden zu laſſen / und hernach ausgepreſt warm auf dem Magen zu halten / oder nur trucken zu tragen. Decocto quoque huic calido ſpongia immerſa ventriculo applicetur.

℞. *tacamabac. rad. ari pulv.* ā. ʒj. *caryoph. arom. pulv.* ʒß. ℴ℅ *menth. abſynth.* ā. ℈ß. *anth. deſt.* gt. viij. *ladan. cer.* ā. q. ſ. M. F. l. a. Empl. & extend. ſuper alut. in form. ſcuti ſtomach. D. ad chart. S. Magen-Schild.

℞. *rad. galang pimpinell. pulv.* ā. ʒj. *bdell. opopon.* ℴ℅ *nuciſt. expr.* ā. ℈ij. *ol. nardin.* ℈j. *caryophyll. deſt.* gt. vj. *gumm. carann.* q. ſ. M. F. l. a. Empl. D. S. ut ante.

℞. *emplaſtr. de bacc. laur.* ℥ß. *tacamahac. gumm. ammon. in* ♰*to ſolut.* ā. ʒij. *ſpec. arom. roſ. rad. ari pulv.* ā ʒj. ℴ℅ *nuc. moſch. expr. balſam. peruv.* ā. ℈ß. *cer. terebinth.* ā. q. ſ. M. ac extend. ſuper alut. & prætenſ. ſindon. rubr. interpaſſ. & aſperſ. ℴ℅ *citr. deſtill. macis deſt.* ā. gt. ij. D. S. Magen-Schild mit Bändern übergebunden zu tragen.

DIARRHOEA SEROSA.

Si viſcoſius minusque acre peccet ſerum, ægerque ſtatim ab initio hujus mali, conſtantibus adhuc viribus, Medicum expetierit auxilium, nec adeo copioſæ aut crebræ fuerint dejectiones, attenuantia & evacuantia, interque ea purgantia quoque leniora per os exhiberi poterunt, adſtringentia deinde fluxumque nimium cohibentia rite ſubjungendo. Quod ſi vero diuturnior ac copioſior fluxus viresque debiliores celerem deſideraverint opem, ſerumque acrius exſtiterit, pugnandum ſtatim erit enematibus nunc acrioribus nunc vero mitioribus, ut inteſtinis adhærens pituita incidatur ac eliciatur, ſicque deinde adſtringentia quovis modo adhibita felicius poſſint operari. Contra ſi tenuiores ac acrimoniæ expertes humores in culpa eſſe obſerventur, Medicus mature vocatus incraſſantibus ac evacuantibus diaphor. diureticis quin & purgantibus phlegmagogis rem aget; ſin vero (quales ſæpius peccare ſolent) acriores exſtiterint, purgantium loco clyſteres minus acres in uſum vocabit, qui repurgent inteſtinorum tunicas atque demulceant, adſtringentibus deinde vel per os exhibitis (qualia ſupra inter incraſſantia adduxi) vel alio modo applicatis corroborandas & adverſus nimium humorum influxum tempeſtive muniendas.

℞. *rad. imperat.* ʒij. *pyrethr.* ʒj. *herb. hyſſop. origan. rut. centaur. min.* ā. Mj. *pulp. colocynth. in pet. ligat.* ʒj. coq. in ſ. q. ▽ *font.* col. ℞. ℥x. vel ℔j. add. *hier. ſimpl.* ʒvj. *mell. anthoſat.* ℥ß. *ol. rut.* ℥iß. M. D. cum veſic. & inſtrum. major. S. Abledigendes Clyſtier.

℞. *herb. major. origan. roriſmar. centaur. min. ſummit. ſerpill.* ā. Mj. *ſem. cartham. in pet. ligat.* ʒß. coq. in ſ. q. ▽ *font.* col. ℞. ℥x. add. *el. diacathol.* ℥ß. *hier. diacolocynth. mell. roſat.* ā. ʒij. ⊖ *comm.* ℈ij. M. D. S. ut ante.

℞. *fol. malv. parietar.* ☿*ial. viol.* ā. Mj. *flor. chamæm. verbaſc.* ā. P. j. *hord. integr. furfur.* ā. Mj. coq. in ▽ *font.* q. ſ. Col. ℞. ℔j. add. *mell. roſat.* ℥iß. M. D. S. Ausſpůhlendes Clyſtier.

℞. *Decoct. hord.* ℔j. *mell. anth.* ℥iß *ſal. gemm.* gr. vj. M. D. S. ut ante.

℞. *rad. alth. lil. alb.* ā. ℥j. *fol. malv. alth. fragar.* ā. Mj. *fl. chamæm. ſambuc.* ā. P. ij. *ſem. lin.* ʒij. *fœnugr. aniſ* ā. ʒj. Inc. & cont. coq. in ▽ *font.* ℔ij. ad dimidias. Col. add. *ungt. clyſmat.* ʒiij. *ol. lil. alb.* ℥j. *mell. roſat.* ℥ß. M. D. S. Linderndes Clyſtier.

℞. *lact. vaccin. in quo ſilices* △*iti exſtincti ſunt* ℥x. diſſolv. in eo *ſævi hædin.* ℥iß. *ol. viol. roſar.* ā. ℥j. *vitell. ov.* n. ij. (ac ſi fortius expetatur *laudan. opiat.* gr. iij. vel iv) M. D. S. ut ante.

℞. *rad. biſtort. tormentill.* ā ℥j. *ſymph.* ℥ß. *fol. querc. plantag. myrt. fl. roſ. rubr.* ā. M. j. coq. in ſ. q. ▽ *font.* Col. ℞. ℥x. add. *mell. roſ. col.* ℥iß. *vitell. ov.* n. j. M. D. S. Anhaltendes Clyſtir.

℞. *rad. conſol. maj.* ℥j. *tormentill. biſtort.* ā. ℥j. *herb. plantag. equiſet. ſanguiſorb.* ā. Mj. *ſem. ſangu. dracon. plantag.* ā. ʒiß. coq. in ſ. q. *lact. vacc.* Col. ℞. ℥x. add. *mell. roſar. col.* ℥j. *vitell. ov.* n. j. M. D. S. ut ante.

℞. *rad. tormentill. pulv. cortic. granat. pulv.* ā. ʒj. *croc.* ♂ *adſtr.* ℈iß. *ſucc. plantag. inſpiſſ.* ʒiß. *ſangu. dracon.* ʒj. cum ſ. q. *mell. roſac.* M. F. l. a. Suppoſit. n. iij. vel iiij. D. S. Anhaltende Stuhlzåpflein.

℞. *flor. chamæm. pap. errat. roſ. rubr.* ā. ʒj. *caſtor.* ℈j. *opii corr.* gr. vj. cum ſ. q. *mell. coct.* M. F. l. a. Suppoſ. n. ij. vel iij. D. S. Lindernde Stuhlzåpflein.

℞. *ſuccin. citr. maſtich. ſem. plantag. myrtill.* ā. ʒij. *flor. roſar. rubr.* P. j. M. F. Pulv. groſſ. D. S. Zum Råuchern.

℞. *ol. laurin. myrtill.* ā. ℥ß. *cydon. maſtich.* ā. ʒij. M. D. S. Oel den Leib warm damit zu ſchmieren.

℞. *unguent. comitiſſ.* ℥j. D. S. Salb den Leib damit zu ſchmieren.

℞. *rad.*

℞. *rad. ſymph. cort. granat.* ā. ʒij. *croc.* ♂ *adſtring.* ℈ij. *ſangu. dracon.* ʒj. *ol. myrtill. cydon* ā. ʒij. *ceræ* q. ſ. M. F. l. a. unguent. D. S. ut ante.

℞. *theriac. venet.* ʒij. *croc.* ♂ *adſtring.* ℈j. 🜔*li* ♂. gr. xvj. M. D. S. In den Nabel zu ſtreichen oder überzulegen.

℞. *ferment. acerr. vel mic. panis toſtæ & 🜊to irror.* ℥ij. *pulv. rad. tormentill. gallar.* ā. ʒj. *nuc. moſch. ſangu. dracon.* ā. ʒß. M. cum 🜊 *roſac.* q. ſ. pro Catapl. D. S. Etwas warm über den Leib zu legen.

℞. *ferment. acerr.* ℥iß. *pulv. cort. granat. roſ. rubr.* ā. ʒj. *maſtich. croc.* ♂ *ſtypt.* ℈j. M. D. cum 🜊*to vin. acerr.* pro Catapl. S. ut ante.

℞. *maſtich.* ℥ß *thuris, ſangu. dracon. bol. arm. lap. hæmat. ſem. plantag.* ā. ʒij. pulv. ſubtiliſſ. M. & excip. cum *album. ov.* & 🜊*ti roſac.* an. q. ſ. in form. Catapl. D. S. ut ante.

℞ *theriac. venet.* ʒiß. *croc.* ♂ *adſtring.* ℈j. 🜔*li* ♂ ℈ß. ☍ *mac. deſt.* gt. j. M. & induc. ſuper alut. in form. orbis minoris vitrei. D. S. Uber den Nabel zu legen.

℞. *empl. de cruſt. pan.* ℥ß. *de bacc. laur.* ʒij. cum ☍ *maſt.* M. & induc. ſuper alut. in form. rot. major. D. S. Pflaſter über den Leib zu legen.

℞. *empl. diaphœn. frig. de cruſt. pan.* ā. ʒiij *croc.* ♂ *ſtypt.* ℈ij. 🜔*l.* ♂ ℈j. cum *ol. nuciſt. expr.* ℈j. F. Empl. D. S. ut ante.

℞. *empl. de bacc. laur. de cruſt. pan.* ā. ʒiij. *mithrid. damocr. vel theriac. opt.* ʒij. *maſtich.* ʒj. *croc.* ♂ *adſtring.* ℈ij. *ol. nuciſt. expr. balſ. indic.* ā. ℈ß. M. F. Empl. D. S. ut ante.

℞. *rad. biſtort. pulv. gallar. pulv.* ā. ʒij. *ſem. plantag. maſtich. ſangu. drac.* ā. ʒj. *croc.* ♂ *adſtr.* ℈ij. *ol. nuciſt. expr.* ʒij cum *terebinth. venet.* q. ſ. M. F. Empl. D. S. ut ante.

Vulgo *cruſtam panis toſtam* ac 🜊*to roſac.* irroratam pulvereque *nuc. moſch.* conſperſ. ventri admovent: nec ſua hîc utilitate deſtituentur ſuffumigia, quæ ſupra, ubi de coryza egi, exhibui, ac tandem ſi incidentia ac attenuantia deſiderentur, ea hîc in uſum trahantur, quæ *pag. 94.* catarrho ſtomachico debellando deſtinavi.

Coronidis loco non poſſum non animadvertere in illos, qui, etiamſi jam aliquot dies diarrhœa duraverit, humoresque tenuiores ac inſigniter acres in culpa fuerint, nihilominus tamen ab initio curationis purgans aliquod exhibere ſolent, cujus beneficio hærentes jam in inteſtinis humores eliminentur, ut deinde remota cauſa hacce irritante facilius, ſi Diis placet, nimius ille fluxus poſſit cohiberi. Etenim toto hi ipſi cœlo aberrare mihi videntur, ſiquidem neglectis vel non intellectis Artis noſtræ regulis parti afflictæ majorem ad-

 dunt

dunt afflictiònem, cum & nimius ille, qui ſedandus erat, fluxus magis magisque verſus inteſtina concitetur, & particulæ purgantium acriores immediato contactu ſuo inteſtina ad contractionem inordinatam invitent, ipſisque inhærens ſerum, quod certe non omnimode abſtergi poteſt, acrius adhuc reddatur, ut adeo nemini mirum poſſit videri, quod nonnunquam in ipſa curatione fluxus ille adeo augeatur, ut vix ullis deinde cohiberi poſſit medicamentis, cum facile quivis nunc perſpiciat, unde illæ lacrymæ. Malim proinde ego poſitis iis, quas jam jam commemoravi, circumſtantiis illico ad abſorbentia ſimulque nonnihil adſtringentia 🜃ea, opiata moderata, quin & emulſiones ac clyſteres confugere, utpote humorum copiam mediante ſudatione imminuentia, acrimoriam temperantia, ac tenuitatem corrigentia, ſicque ipſas diarrhœæ hujus cauſas tollentia, eo tamen adhibito moderamine, ut non derepente fluxus iſte omnino ſiſtatur, ſed, prout uſus ratio poſtulaverit, per unum alterumve adhuc diem, attamen nimio ejus jam tum fracto impetu, quodammodo ſervetur, quin & lenientibus aut purgantibus mitioribus, tutius dein uſurpandis, ſi opus fuerit, nonnihil proliciatur, ut ſuperfluum noxiumque è corpore ſerum hac ratione commode evacuetur. Sed hæc illos, dicat aliquis, minus ferient, qui ſolum *rhabarbarum toſtum* exhibere conſueverunt? Dicam paucis, quid ſentiam. Quod ſi parum tantummode illud torreant, ut particulæ 🜔inæ vol. acres non omnes in auras abigantur, ſed plurimæ adhuc remaneant, eandem certe incurrunt animadverſionem, nunc graviorem nunc vero mitiorem, prout in majori illud vel minori doſi ægrotis ſuis offerunt, de quorum valetudine imo ipſa hìc agitur vita, non de lana, ut ajunt, caprina luſus inſtituitur. Sin diutius aut majori Vulcani vehementiæ illud exponant, quin & inſuper æqual. aut ſaltem dimidiæ (uti ſolent) *nuc. moſch.* portioni commiſceant, falluntur omnino & fallunt, quando illud purgantis, etſi lenioris, loco ſub eoque exhibent titulo, ſiquidem non ſolum nux moſch. ob particulas plures 🜃eſtres fluxum illum potenter ſatis cohibet, 🜍eaſque o°oſas paucula forte adhuc reliqua rhabarbari ſpicula obtundit; verum etiam ipſum hoc penitus 🜂is vi enervatur, ex ſolis deinde particulis 🜃eſtribus ac pauculis forte 🜍eis conſtans, cùm *vel liquido calidiore ſubactum, aut igne, uſtulatum, aut in quam minutiſſimo pulvere ſervatum efficaciam omnem Volatilis fuga amittat*, ceu accuratiſſime docet inſigne illud non minus Cimbriæ delicium, quam Orbis eruditi lumen, *Joh. Nicolaus Pechlinus*, Dn. Patronus meus ac Fautor

omni

omni obſervantia colendus, in ſupra laudata, nunquam tamen ſatis laudanda *Exercit. de Purgant. pag.* 235. Sed ſatis de hiſce: pergendum ad ea, quæ reſtant.

GONORRHOEA.

Commodiſſime hancce cum celeberr. *Ettmüller. Coll. Pract. ſpecial. de morb. vir. & mul.* in veram & notham diſtinguere licet, ita ut illa adeſſe dicatur, *quando vera materia ſeminalis aut ipſi ſaltem proxime ſimilis, in teſtibus tamen elaborata, crebro nimis excernitur;* hæc vero *quando alia materia vitioſa loco ſeminis excernitur*, & rurſus duplex ſtatuatur, alia benigna, *quando citra cauſam manifeſtam v. gr. citra prægreſſum actum ♀eum ſuſpectum effluit continuo liquamen ſive materia tenuis aquoſa & copioſa, idque citra pruritum ♀eum aut citra membri tentiginem:* alia maligna, *quæ ex coitu cum fœmina impura ac lue gallica infecta contrahitur.* Ex hiſce catarrhorum catalago inſerendam eſſe duxi, gonorrhœam notham benignam, à nonnullis jure merito catarrhalem dictam, cum dies noctesque fluxus iſte continuari quin & per integros annos durare obſervetur, absque tamen inſigniori ſæpius virium proſtratione, ut nullum dubium eſſe poſſit, quin ſuperfluum aut vitioſum maſſæ ſanguineæ ſerum in glanduloſa proſtatarum ſubſtantia, præſertim ſi ipſa debilior exiſtat, eadem ratione catarrhum producat, uti in aliis corporis partibus eundem excitare conſuevit. Ad Curationem autem ejus quod ſpectat, cum, præter interna per os aſſumenda remedia, haud alia hic poſſint adhiberi, quam quæ exterius regioni pubis applicantur, ea quoque commode hic in uſum trahi poterunt, quæ pro ſiſtenda diarrhœa jamjam commendavi.

FLUOR ALBUS.

Uti gonorrhœa virilis, ita etiam muliebris in veram & notham diſtingui meretur: in illa liquor ejusmodi, qualem fœminæ in coitu excernunt, aut ipſi proxime ſimilis per intervalla nunc longiora nunc vero breviora, attamen crebro nimis ac utplurimum cum voluptate quadam ♀ea aut occaſione ejus profluit: in hac vero materia quædam plus minus ichoroſa copioſius & ferme continue, quin & absque voluptate aut titillatione quadam ♀ea promanat, concurrente utplurimum totius corporis ſeu MS. depravatione. Et hæc quidem poſterior rurſus duplex conſtituenda, una quidem benigna dicenda, quando ſcil. vel nullam vel non adeo inſignem humor effluens conjunctam habet acrimoniam; altera vero maligna, quando ingens ac veluti acida vel ſalſo-acida corroſiva adeſt acrimonia ac virulentia, qualis luem ♀am comitari aut proxime præce-

 dere

dere ſolet, ad eam proinde commode referenda. Ad catarrhos enim ſolum ſpectat notha benigna, Fluor albus κατ' ἐξοχὴν dicenda, quem ſiſtere nullo modo conſultum erit, niſi prius ipſa M S. à cujus vitio iſte dependet, emendata ſit ac ab humiditatibus ſuperfluis rite liberata. Quo facto, ubi ad topica accedere animus eſt, ante omnia, ſi humor pituitoſus ac craſſus peccare deprehendatur, incidentia & detergentia in uſum vocari debent, quibus orificium uteri internum ac vagina ejus probe à muco inhærente mundetur, qualia ſunt *aq. decoction. abſynth. matricar. menth. ſalv. puleg. ſabin. roriſmar. &c.* quibus deinde leniter adſtringentia poterunt admiſceri. Vel

℞. *raſur. lign. guajac.* ℥ß. *aloës, juniper.* ā. ʒij. infund. in ▽ *fervidiſſ.* ℔ij. & relinq. per horas XXIV. ſupra cineres calid. poſtea coq. ad medietat. conſumt. addendo ſub fin. *herb. abſynth. matric. puleg. menth.* ā. Mß. *flor. ſalv. anth. melilot. alb.* ā. P. j. Col. Dr. S. Mutter-Clyſtier zu unterſchiedlichen malen/ ein wenig warm zu appliciren.

℞. *herb. ſabin. artemiſ. origan. roriſmar.* ā. Mj. *flor. lavendul. roſ. rubr.* ā. P. ij. coq. in *aq. hord. & vin. rubr. ſtypt.* ā. q. ſ. Col. ℞. ℥viij. add. *oxym. ſquillit.* ℥iß. M. D. S. ut ante.

Vel intrudatur ex commendatione *River. Prax.* P. *II. lib. XV. c. IV.* peſſarium ex *foliis* ♀ *ialis* contuſ. & panno lineo raro involutis, vel ex *theriaca* & *terebinth.* Vel

℞. *fol.* ☿ *ial. pulv. ſucc. abſynth. inſpiſſ.* ā. ʒij. *mell. ad conſiſt. coct.* ℥ß. M. F. l. a. Peſſar. n. j. vel ij. D. S. Mutterzäpflein.

Nec negligendi ſunt vapores ac ſuffitus *pag. 74.* laudati mediante ferro △ito aut carbonibus ollæ impoſitis excitandi, & per infundibulum iſti adaptatum ad vaginam uteri admittendi. Quo ſi vero tenuiores aut acriores humores peccaverint, injici poterunt ſeqq.

℞. *decoct. hord.* ℥iv. *mell. roſ.* ℥ß. M. D. S. Ausſpühlendes Clyſtier.

℞. *lact. chalyb.* ℥vj. *diſſolv. in eo caſtor.* ℈ij. M. D. S. Linderndes Clyſtier.

℞. *rad. lapath. acut.* ℥j. *fol. plantag. malv. ſclareæ* (quam *horminum odoratum* vel *gallitrichon* vocant) ā. Mj. *fl. nymph. bellid. alb. roſ. alb.* ā. P. j. coq. in ſ. q. ▽ *hord.* Col. D. S. Reinigendes und anhaltendes Clyſtier.

℞. *fol. plantag. herb. melilot. alb. fol. ſclareæ* ā. Mij. *roſ. alb.* Mj. *rad. biſtort. ulipend.* ā. ʒiij ♤ C ā ℔ß. S. Species zum Bad. ad imitat. *Michaël Prax.* P. *I. Lib. V. c. 30.*

Laudatur præterea pro adſtringendi ſcopo *cinis nuc. jugland. cum vino miſtus* & utero injectus; fotus ventris & pubis cum *decoct. vincæ*

per

per vincæ, & aliis adſtringentibus: quin & vetula ab hoc fluxu libe-rata fertur, quæ linteum cum fluore excepit inque furnum ſuſpen-dit. Magni quoque hoc in affectu æſtimatur *ungu. ſcalreæ*, ex ea-dem contuſa, ac, ubi aliquantum putrefieri incipit, tantiſper buty-ro cocta expreſſum, ſi ab umbilico ad inferiora usque ventri inunga-gatur, ac per peſſos ſinui pudoris admoveatur. Plura hic conſulto non affero, cum pleraque illa, quæ contra Diarrhœam laudavi, hic quoque conferre poſſint, ſi reſpective vaginæ uteri injiciantur ac paulo ſupra pubem vel ei ipſi quoque applicentur.

TUMORES
Variarum partium externarum.

Qui cum ſolummodo catarrhis accenſeri mereantur, quamdiu adhuc recentes reſolvi ſeſe & diſcuti patiuntur, commode ea hic adhiberi poterunt præſidia, quæ ſupra *pag. 81.* & *87.* laudavi, quibus potentiora paulo adjungere nunc lubet, qualia ſunt ☍ *guajac. fœtidum*, ♀ *deſt. empl. diachyl. cum gummat. Vigon. opodeldoch. Minderer. ceroneum Ni-col.* quæ in *Diſpenſ. Auguſtan.* habentur, *emplaſtr. de galban. crocatum Mynſ. de ſperm. ceti Ejusd. cerat. de ammon. Quercetan.* Vel

℞. *gumm. ammon. galban.* ã. ℥j. *myrrh. rubr. thur.* ã. ʒß. *camphor.* ʒß. *ol. irin. cer. flav.* ã. q. ſ. M. F. l. a. Empl. quod ſuper alut. tu-mori adaptatam extendatur ac applicetur.

℞. *picis naval. colophon.* ã. ℥iß. *bdell. opoponac.* ã. ℥j. *terebinth. cer. flav.* an. q. ſ. M. F. l. a. Empl.

℞. *ſem. ſinap. naſturt.* 🜂 *viv. ariſtol. rot.* ã. ʒij. *galban. ammoniac. in* 🜊 *ſolut.* ã. ʒß. *ol. lil. alb. cer. alb.* an. q. ſ. M. F. l. a. Empl.

℞. *opoponac. bdell. myrrh.* ã. ℥iij. 🜂 *viv.* ⊖*is commun.* ã. ʒij. *camph.* ℈ij. *tereb. cer.* an. q. ſ. M F. l. a. Empl.

℞. ♀ *comm.* ⊖*is comm.* ã. ℥ij. *gumm. ammon.* ℥j. pulv. M. & inde ſaccul. parti affect. applicand.

In principio tumorum, ubi ſerum lymphaticum tenue copioſius affluit, adſtringentia leniora adhiberi poſſunt, admixtis tamen iis, quæ ſubſequentem ſtatim viſcoſitatem præcaveant, v. g.

℞. *rad. tormentill. pulv. gumm. ammon.* 🜊*to ſolut.* ã. ℥j. *thur. maſtich. ſangu. dracon.* ã. ʒj. ⊖*is* ℈ß. *ol. myrtill. ceræ flav.* ã. q. ſ. M. F. l. a. Emplr.

RHEUMATISMUS.

Quanquam plures ejus differentias Auctores nonnulli conſtituant, facile tamen in præſentiarum ſufficiet mihi in Univerſalem, nonnul-lis legitimum dictum, & Particularem ſive ſpurium eundem diſtin-

xiſſe, quorum ille dicatur, qui omnes ferme totius corporis partes affligit, huc proprie non ſpectans, nec alia fere quam interna medicamenta ac ſuffimenta exterius adhibita admittens: hic vero, qui unam tantum aut alteram corporis partem infeſtat, ac per integros nonnunquam annos uno eodemque in loco hærere conſuevit. Poſterior hic uti catarrhis jure merito accenſendus eſſe videtur, ita eadem ſibi efflagitat remedia, quæ diſcutiendis humoribus variis jamjam aſſignavi. Atque ita tertiæ quoque Indicationi ſatisfeciſſe me exiſtimaverim.

Detectis igitur nunc hoſtis noſtri viribus, armis, munimentis, omnique apparatu, ac comparatis deinde ſat numeroſis firmisque, quibus oppugnari poſſit, copiis, ordinataque tota belli hujus ratione, nihil reliquum eſt, quam ut Divinum ante omnia auxilium ad illud feliciter gerendum piis imploretur precibus, ægerque laboranti naturæ, utpote veræ, docente divo Coo, *morborum medicatrici*, antequam nimium proſternatur, ocyus ſuccurrat, nec, qui perverſus nonnullorum horum mos eſt, tum demum de capeſſendis cogitet armis, ubi ipſi jam cervici hoſtile imminet ferrum, memor Poëtici illius:

Principiis obſta ; ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Quapropter ſtatim ab initio hujus mali tempeſtive prudentem ac rationalem (quem vocant) Medicum conſulat, ejusque præceptis patientem ac morigeram accommodet aurem, nec, ſi ad unum ſtatim medicamenti alicujus ictum haſtam non abjiciat hoſtis, animum dimittat ac deſpondeat, cum hominem ſibi, non Deum, facere ſciat Medicinam, ac Medicum naturæ noverit eſſe miniſtrum, rarius vero magiſtrum. Qui vero belli hujus dux expetitur Medicus, ſi tela quædam ex Diſſertatione hac, veluti armamentario quodam, depromere animus ei fuerit, ipſam prius affectus cujuslibet particularis indolem cauſasque ſpeciales ad ductum ſuperius propoſitæ Theoriæ inveſtigabit, probeque deinde penſitatis uniuscujusque medicamenti viribus ex generalibus Methodi Medendi regulis Univerſalia particularibus, Mitiora fortioribus præmittet, Curationemque tuto, cito, & jucunde abſolvere ſtudebit, alta ſemper mente repoſitum habens vetus illud, quo, tanquam gemmula, præſentem obſignare lubet Diſſertationem:

NIHIL TEMERE,
NIHIL NEGLIGENTER!

ΕΠΙ-

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

QUandoquidem in Diſſertatione de Guſtu anno ſuperiori hîc conſcripta & habita pag. 24. ſeq. primus (quantum quidem ſcio) papillas nerveas in lucem publicam protraxi, quibus, utpote formale guſtus organum conſtituentibus, tunicam faucium anguſtias undique ſuccingentem in brutis nonnullis, quæ cultro Anatomico tum temporis ſubjicere licebat, præditam atque diſtinctam obſervâram; operæ omnino pretium eſſe videtur, pauculis hîc ſignificaſſe, easdem me in ſubjecto quoque humano inveniſſe, nullumque proinde ſupereſſe amplius poſſe dubium, quin præter ipſam linguam aliæ quoque oris interni partes verum hujus ſenſus ſubjectum ſalutari mereantur. Cum enim Anatomices in hac Univerſitate Profeſſor longe Celeberrimus, Dn. Johannes Mauricius Hoffmannus, Dn. Patronus ac Præceptor meus omni obſervantia colendus, in cadavere, quo præterita hieme Theatrum hocce gaviſum eſt, ſectionis Anatomicæ exercitium petenti conceſſiſſet, ſingulaque manibus meis liberius tractandi intimiusque rimandi licentiam humaniſſime feciſſet; occurrebant mihi, ſimul ac cultrum oculosque ad partes iſtas converteram, papillæ nerveæ nonnihil albicantes, figuræque ſimilitudine papillis primi generis linguæ reſpondentes, magnitudine quidem aliquantum iisdem cedentes, nec tamen adeo exiguæ, quin oculis nudis ab adſtantibus, quibus eas commonſtrabam, Amicis promtiſſime poſſent dignoſci. Hæ ipſæ uti fauces undique armabant, & non ſolum in ſuperiori earum concameratione ſive palato extremo, ſed ad latus utrumque circa tonſillas, quas vocant, copioſiſſimæ aderant; ita nec in ipſo pharyngis principio deficiebant, ſed tunicam ejus ſtatim poſt muſculos

los, pharyngæos dictos, ſatis numeroſæ diſtinguebant. De uvula inſuper nunc adjicio, tunicam muſculis ejus, Periſtaphylinis dictis, ſuper extenſam papillis ejusmodi copioſis ſtipatam fuiſſe; ipſam vero non adeo notabiles viſui exhibuiſſe, ſed punctula tantummodo quædam minutula, pariter tamen albicantia ac ſine dubio papillarum nervarum titulo haud defraudanda, cum ſenſum guſtus ſatis accuratum inibi vigere vel illud comprobet experimentum, quod, ſi ope inſtrumentorum pag. 84. ſuperius memoratorum, pulvis aliquis uvulæ affletur, patiens guſtus beneficio asſequi ſtatim poſſit, utrum ſal, an piper, zingiberve, aut aliud quoddam concretum adhibitum fuerit, etiamſi, peregrino illud colore tinctum, antea non ſatis cognoverit.

SOLI DEO GLORIA!